PETRI MAGNI DE CONSILIO AD OCTAUIUM FARNESIUM PARMAE AC PLACENTIAE...

Pietro Magno, Giuseppe Castiglione, Tommaso : d' Avalos

Digitized by Google

THOMAS AVALVS RANVTIO FARNESIO PARMAE. AC. PLACENTIAE PRINCIPI. S. D.

M*AGNA fuit vſque ab ataui tui Pauli III. tẽporibus meorum omnium in veſtram familiam obſeruantia. Multa memorare poſſem illius optimi Pontificis in auum meum ſigna egregiae voluntatis. quae quamuis a noſtra memoria remota, mihi tamen ex Inici Cardinalis patrui mei, veſtrae amplitudinis & gloriae ſtudioſiſſimi, quotidiano prope ſermone notiora ſunt, quam quibus ipſe ſpectator interfui. Nã quid attinet referre, quo ille patruum tuum magnũ Alexandrum Farneſium Cardinalem ampliſſimum, honore cultuuê proſequatur? His acceſſit arctiſſimum vinculum, tuae amitae magnae filia fratri meo in matrimonium data: tum inuictiſſimi ducis*

Alexandri patris tui plurima in eumdem & maxima beneficia: meaque cum iucundiſſimo atq. optimae ſpei principe Duarte fratre tuo aſsidua conſuetudo. Hae me antea res, nondum etiam de facie notum vt te diligerem, impellebant. Verum anno ſuperiore vbi tuo in vrbem aduentu ſummam de te expectationem omnium non exiguo aliquo interuallo, ſed ingentibus ſpatijs, immenſisque ſuperaſti: tanta me cepit admiratio virtutis tuae, vt omnino ſtatuerim, meum tibi ſtudium occaſione quapiam indicandum. Ea vero mihi mirifica ſe ſe obtulit. Nam cum accepiſſem a doctis quibuſdam viris, Petri Magni librum de conſilio, quem ille olim ad ſapientiſſimum principem auum tuum ſcripſit, in caelum laudibus ferri: auctoremque quiduis potius, quam eius editionem, animo agitare: nuper eius exemplar nactus, continuo typis impreſſum ad te mittere, ac ſub tuo nomine in vulgus edere cogitaui. quod recte an ſecus fecerim, alij viderint: ego hanc tui mihi conciliandi occaſionem praetermittere nolui. atque huic adiunxi eiuſdem orationes duas, quas habuit in Senatu, alteram ad Gregorium XIII. alteram te aſtante ad Sixtum V. Pontifices maximos, cum illis aui tui nomine obedientiam exhiberet. his & tertiam addidi, qua eiuſdem optimi principis funus veriſsimis laudibus ornauit. Atque hoc aequo illum animo laturum confido. illud vereor ne grauius ferat, quod eius carmina & iuueniles aliquot luſus collegi, &

ad

ad calcem huius voluminis attexui. queretur enim fortaſſe, quae ipſe olim adoleſcens luſerit, hodie ſe inſcio exire in vulgus: praeſertim cum animi tantum cauſa eiuſmodi ſtudijs indulſerit, eaque perpetuo diſſimulauerit. Verum ſiue ille iure, ſiue iniuria queratur, actum hoc quidem eſt. & ſane ita faciendum fuit: quando nec facile illo quemquam in ſcribendo diligentiorem inuenias, nec ſcriptorum ſuorum, ſuaeque gloriae negligentiorem. Quod ad librum attinet, eum nec mea, nec cuiuſquam egere commendatione arbitror, &, ſi egeat, mea certe adiuuari non multũ poſſe. Illud adnotaſſe videor, hoc libro contineri, quaecumq. in conſilijs principum agitantur: qua lectione quid principe dignius? eaque tractari via quadam & ratione mirabili, tanta rerum grauitate, ac verborum elegantia, vt nihil ſupra. Equidem iſta legens ſic afficior, vt Latine Ariſtotelem cogitationes ſuas Caeſaris aut Salluſtij verbis enuntiantem audire mihi videar. Atque haec domi tuae naſcuntur: ne me putes quidquam tibi de meo largiri. tantum ea per te volui ceteris harum rerum ſtudioſis hominibus impartiri. Vale, & me tibi addictiſsimum tuo patrocinio dignare. Roma, Idibus Februarijs MDLXXXVII.

CAPITA LIBRI
DE CONSILIO.

Consilium [illegible] pag. 1
[illegible] definitio. 2
Consilium [illegible] ex tribus summis generibus re-tatur. 3
Quae res in consiliis [illegible]. 4
Quae in consiliis publicis [illegible]. 5
De vectigalibus. [illegible]
De bello, de pace, de re [illegible]. [illegible]
De vrbis atq. agri custodia. [illegible]
De iis quae ad annonam pertinent. [illegible]
De legibus ferendis aut abrogandis. [illegible]
Qualis esse debeat [illegible]
De prudentia consultatoris. [illegible]
De virtute consultatoris. [illegible]
Si alterutra carendum sit, prudentia an virtus in con-siliis vtilior sit, ac potior. [illegible]
De beneuolentia consultoris. [illegible]
Quae dicendi ratio [illegible]
De officio eius, cui consilium datur. [illegible]

CAPITA LIBRI
DE CONSILIO

CONſilium quot modis dicatur pag. 2
Conſilij definitio. 3
Conſilium ad quod ex decem ſummis generibus refe-
ratur. 3
Quae res in conſultationem non cadant. 4
Quae in conſilijs publicis agitari ſoleant. 9
De vectigalibus. 10
De bello, de pace, de foedere, de inducijs. 11
De vrbis atq. agri cuſtodia. 18
De ijs quae ad annonam pertinent. 20
De legibus ferendis aut abrogandis. 21
Qualis eſſe debeat is, qui conſilium daturus eſt. 25
De prudentia conſiliarij. 25
De virtute conſiliarij. 29
Si alterutra carendum ſit, prudentia an virtus in con-
ſilijs vtilior ſit, ac potior. 39
De beneuolentia conſiliarij. 42
Quae dicendi ratio conſiliarium deceat. 44
De officio eius, cui conſilium datur. 45

Conſilio, cantu, eloquio, Tritonia, Phoebus,
Mercurius caeli promeruere decus.
Quid tibi MAGNE *damus, qui vincis carmine Phoebum,*
Mercurium eloquio, Pallada conſilio.

FRANCISCI BENCII
EX SOCIETATE IESV

Victus es tandem precibus potentum,
Abdita vt longum veniant in auras,
MAGNE, *quae ſcribis nimium vetuſtae*
Aemula laudis.
Arte ſeu mira dociles monendo
Inſtruis mentes, acuis ve linguas,
Seu pedem, greſſus vbi fixit altos
Pindarus, infers.
O nouum ſaecli decus. o Latina
Gloria, aeternis celebranda cartis,
Quas ferant olim voluiſſe doctae
Mittere Athenae.
Perge iam tanto ſtudio retentas
Res dare in vulgus. ſimilis carenti
Eſt opum parcus. bona liberalis
Perficit vſus.

PETRI · MAGNI
DE · CONSILIO
AD · OCTAVIVM · FARNESIVM PARMÆ · AC · PLACENTIÆ DVCEM

SCIO ego, inquit, opinor, Salluſtius, quam difficile factu ſit, conſilium dare regi. at ego ſiquid ſcio, & illud ſcio: & conſiliũ difficile eſſe, & cõſiliũ dare, & regi dare. ita tribus ex partibus difficultas oritur: & a conſilio ipſo, & ab eo qui conſilium dat, & ab eo cui dat. nã & omnis cõſultatio veri quaedã inueſtigatio eſt, idque in profundo latere dicitur: & ab eo, qui conſiliũ dat, præcipua quædam prudentia exigitur, quæ in pauciſſimis reperitur: & plerumque ij, quorum opes in excelſo ſunt, plus æquio aſſentatoribus gaudent; nec tam vera, quam iucunda dicẽtibus aures præbent: ac fere fit, quod ſeruus ille apud Ariſtophanem queritur.

Si forte hero praeclara ſeruus dixerit,
Secus autem hero dixiſſe videatur ſuo,
Seruus neceſſe eſt ſit malorum particeps.

Sed hoc præclaris rebus omnibus commune eſt, vt ar-

duæ ſint: & Græcorum prouerbio dicitur, pulchra omnia difficilia eſſe. Itaque Heſiodeus ille virtutis ianitor degeneres fortaſſe animos a propoſito auertat, nobiles excitet. Satis enim a natura inſtructi ad verum inueniendum ſumus, modo eam ducem ſequi velimus: quæ fruſtra nobis tantam ſcientiæ cupiditatem ingeneraſſet, ſi eius adipiſcendæ facultatem ademiſſet. Quamquam autem ad conſilium, niſi vocemur, accedere veteri prouerbio prohibemur: tamen vt in publici criminis reum cuiuis eſt actio, ſic pro republica laborãti cuiuſuis eſt opem ferre: nec a ſe alienum exiſtimare debent ſinguli, quod vniuerſos attingit. Tibi igitur Octaui Princeps optime, ac ſapientiſſime, quo tot populorum ſalus nititur, venimus & nos, non de re vna aut altera conſilium daturi, ſed de conſilio non nulla, quoq. modo eo vtendum ſit, e pænu litteraria deprompturi. Tuum eſt, quod offerimus boni conſulere: neque hominis tui ſtudioſiſſimi quamuis tenue munuſculum aſpernari.

Conſilij nomen eſt anceps, varieque in ſermonibus vſurpatur. nam & conſultandi vim deſignat, quæ ratio dicitur; & rationis rectum vſum, qui vbi confirmatus eſt, prudentia nominatur: & προαίρεσιν, quam electionẽ dicere poſſumus, donec melius inueniamus: & praeterea conſulentium conſeſſum, quem Senatum appellamus: vnde apud Athenienſes βουλὴ τῶν πεντακοσίων; & quod ſenatus auctoritate fit, id de conſilij ſententia fieri dicitur. Atque haec tam varia nominis vſurpatio ex earum rerum, quae ſignificantur, affinitate oritur. Primo enim quod ſibi quiſque bonum opinatur, id natura appetit: tum conſultat atque inquirit, quid agere debeat, quo bonum illud aſſequi poſſit: poſtea decernit, atque eligit: poſtremo agit. Ita opinionem appetitio ſequitur, appetitionem conſultatio, conſultationem ele-

ctio,

ctio, electionem actio. Namque vbi nobis aliqua boni ſpecies obiicitur, ea continuo appetitũ excitat, & quodam modo ad ſe rapit: appetitus deinde rationem conſulit, atque haec, quid agendum ſit, oſtendit; quae conſultatio dicitur. mox appetitus a ratione edoctus, quaſi Telemachus Minerua duce, ſequitur id, quod vtiliſſimum eſſe ratio demonſtrauit: haec προαίρεσις appellatur a Graecis, nos, vt dixi, electionem vocemus. vbi elegimus, tum demum agere incipimus. Quoniam igitur in conſiliis ratio principatum obtinet, eo fit, vt modo ratio ipſa, modo recta ratio ac prudentia, plerumque rationis vſus, non raro id quod a ratione ſtatuitur, conſilium nominetur. de quibus ſingulis accurate agere non huius eſt inſtituti. Quod autem in praeſentia quaeritur, id, opinor, ita commode, quoad res patitur, deſcribemus, vt conſilium eſſe dicamus, inquiſitionem eius, quod in rebus gerendis vtile ſit ad finem propoſitum conſequendum. Omnis enim conſultatio, inquiſitio quaedam eſt, vt initio diximus: at non omnis inquiſitio eſt conſultatio. nam in ſcientia verum quaerimus, vt ſciamus: in conſultationibus ſcire cupimus, vt agamus; cõſultationis enim finis eſt actio. Ac verum quidem in iure iuſtum dicitur, vt, Negant verum eſſe, allici beneuolentiam cibo: ſalubre in ijs, quae ad medendi artem pertinent: itemq. in alijs aliud. in conſilijs autem, quod vtile eſt, id verum appellamus: nam conſulenti propoſita eſt vtilitas. Vtilia vero ea dicimus, quibus ad aliud vti poſſumus, quaſi vtibilia, quem ad modum veteres loquebantur. id oſtendit, non de fine conſultari ſolere, ſed de ijs quae conferunt, quaeq. vtilia ſunt ad finem aliquem conſequendum: quod etiam apertius intelligemus, ſi rem omnem ab initio repetemus. Ac primum omnium ſatis manifeſtum eſt, conſilium eſſe de genere eorum, quae ad aliud referuntur, quaeq. πρός τι ab Ari

ſtotele dicuntur. itaque res eſt quaedam media, quae ab eo qui conſilium dat, ad eum proficiſcitur, cui conſilium datur. Igitur omnis de conſilio diſputatio tribus fere partibus continetur. aut enim quaeritur, quae nam ea ſint, de quibus homines conſulunt: aut qualis eſſe debeat is, qui conſilium daturus eſt; aut quod eius ſit officium, cui conſilium datur. haec vt ſingula perſequamur, de re primum, tum de perſonis agemus. Quae nam ergo ſunt, de quibus homines conſulunt? cum homines dico, ſanos intelligo: neque enim ratio habenda eſt eorum, de quibus mente capti aut fatui conſultarent: vt, an volent, an digito caelum attingant, an Oceanum exhauriant. Omnia ne igitur in conſultationem cadunt? an quaedam a conſiliis excluduntur? Ac primum illud meminiſſe oportet, conſulere nihil aliud eſſe, quam quid agamus inquirere, aut quid potiſſimum agamus. primum igitur in conſultationem non cadunt quaecumq. fieri non poſſunt, quae ἀδύνατα dicuntur. hoc enim ſtulti eſſe dicebamus, deliberare an facias, quod fieri nullo modo poſſit. Quae vero fiunt, eorum Ariſtoteles, cuiuſque ſeriae diſputationis auctor grauiſſimus, quatuor principia, ſeu cauſas enumerat, ad quae omnia referuntur: neceſſitatem, naturam, fortunam, atque hominem, ſiue humanum animum. Quae neceſſitate fiunt, quaeq. aeterna ſunt, conſilium non admittunt: vt quae in mathematicis demonſtrantur: quorum principia, quaeq. ex principiis conſequuntur, neceſſaria ſunt, aeterna, immutabilia. quis enim ſanus deliberet, an e bis ſeptem velit quatuordecim fieri? aut, ſi aequalibus aequalia dempſeris, eſſe quae remanent aequalia, an ſecus, cum neceſſe ſit ita eſſe? Quod autem neceſſe eſt, quodq. fieri non poteſt, id eſt, ἀναγκαῖον, καὶ ἀδύνατον, licet ratione diuerſa ſint, ſua tamen vi ſe mutuo conſequuntur. nam

quod

quod non poteſt fieri, id neceſſe eſt non fieri: & quod neceſſe eſt fieri, id non poteſt non fieri. Quæ natura fiũt, ea nihilo magis in conſultationem cadunt. eorum alia ſemper eodem modo eueniunt, vt ortus, atque occaſus ſiderum, vt anni tempora, quae certum ordinem ſeruant, atque

Aeſtatem autumnus ſequitur, poſt acer hiems fit;

alia nõ ſemper codẽ modo fiunt, vt aeſtus, vt frigora, vt ſiccitates, vt imbres, quae certum non habent, nec definitum ordinem. De his, vt ante dictum eſt, nemo delibe rat. quamquam enim a natura fiunt, a nobis tamen fieri non poſſunt. &, quod ad cõſultationem attinet, perinde eſt fieri non poſſe, & a nobis fieri non poſſe. Sed neque de iis, quae fortuito contingunt, eſt conſultatio; vt, an theſaurum inuenias, an vrnam argenti fors qua tibi monſtret: quae ſi a ratione prouenirent, ex qua conſiliũ oritur, fortuita non eſſent. quamquam, vt eſt hominum audax inſania, non deſunt, qui theſauri quoque inueniendi ſe callere artem profitentur. quos qui audiunt, eos ego ad agnatos, & gentiles cenſeo deducendos. Quoniam igitur neque neceſſariis, neque naturalibus, neque fortuitis in rebus conſultatio locum obtinet, cõſequens eſt vt videamus, an ei locus ſit in iis, quae ab homine proficiſcuntur, quorumque principium, & quaſi fons humanus eſſe animus dicitur. Haec autẽ aut praeterita ſunt, aut praeſentia, aut futura. De praeteritis nulla eſt deliberatio: quando, quod factum eſt, fieri non poteſt, quin factum ſit, vt inquit Agato:

Namq. illud vnum ne Deo quidem licet,
Quae facta ſunt, ea facere infecta vt ſient.

Hinc acta agere prouerbio dicuntur, qui id fruſtra conãtur. De præſentibus item nemo deliberat: quia quod

iam eſt, id neceſſe eſt eſſe: quod autem neceſſe eſt eſſe, id non poteſt non eſſe. neceſſaria vero, & quae fieri nõ poſſunt, in deliberationem non cadunt, vt modo demõſtrauimus. Futura aut artibus comprehenſa ſunt, aut nulla arte continentur. artem hic & ſcientiam, & artificioſam cuiuſque rei viam ac rationem intelligo. Earum aliae ſemper finem ſuum conſequuntur, neque vmquam eo fruſtrantur, vt ars canendi, ars ſaltandi, ars recte loquendi atque ſcribendi, quae grammatica dicitur, item numerandi, metiendi, aliaeq. huiuſmodi, quas mathematicas appellant: aliae interdum ſucceſſu carent, quae ςοχαςικαὶ vocantur a Graecis: cuius generis eſt ars medendi, nauigandi, agri colendi, item perſuadendi ars, id eſt rhetorica, praeterea militaris, ſeu bellica, quaeque his omnibus praeeſt, reipublicae gubernãdae ſcientia, quae ciuilis ars, ſeu recepto iã nomine politica nominatur. Ac certa quidẽ, ſiue ea certis atq. exquiſitis artibus tradantur, ſiue alia qua via ſenſui manifeſta ſint, conſultatione non egent: neque qui aliquid certo ſciunt, de eo Pythium, aut conſultorem adeunt, ſed

Suarum rerum incerti, quos ille ſua ope ex
Incertis certos, compoteſque conſili
Dimittat, ne res temere tractent turbidas.

Nulla itaque de litteris, aut lineis deliberatio ſuſcipitur, quarum rerum & certus vſus eſt, & exquiſita doctrina: neque de iis, quae ſenſu percipiuntur, vt an panis hic ſit, an confectus ſit, vt oportet, quae ſi ſingula in dubium reuocentur, infinita fuerit conſultatio, neque vllus eius exitus inueniatur. In certa vero aut ad nos pertinent, aut ad alienos ac longinquos homines, penituſq. a noſtro commercio remotos. Quae ad nos nihil attinent, ea nec ad noſtrum conſilium ſpectant: nec de

Scy-

Scytharum republica Lacedaemonij, nec Scythae de Lacedaemonia conſultant. Quae ad nos pertinent, ac plerumq. eueniunt, ea ſunt quae conſilium admittunt. nam quae raro contingunt, ea nō a nobis originem ducunt, ſed ad fortunam referuntur: de quibus ſupra dictum eſt. verbi gratia, qui in rebus bellicis bene ſe gerunt, ij plerumque victoriam conſequuntur: qui vero terram ſubigunt, aut arant, ij raro theſaurū inueniunt, quamuis eam optime ſubigant, aut arent. Ergo in his, quae plerumque eueniunt, alia extrema ſunt, ad quae cetera diriguntur: alia quaedam media, per quae extremum aliquod aſſequi conamnr. extremum hoc Graeci τέλος, nos finem appellemus: finemq. eſſe dicamus, qui propter ſe expetendus ſit, cuiuſque cauſa cetera fiant. Finis igitur in conſultationem non cadit. ſuus enim cuique ſtatutus ac certus eſt finis: &, certa quae ſunt, conſultatione non egent, vt ante dictum eſt. nam ideo conſulimus, vt ſtatuamus: quod autem certum & conſtitutum eſt, de eo nihil attinet conſultare. itaque nec orator deliberat an perſuadeat, nec imperator an vincat; ſed quibus rebus vtatur, hic ad vincendum, ille ad perſuadendum accommodatis: &, ſi plura ea ſunt, quibus potiſſimum vtatur; ſin vnum tantum, per quod vnum illud effici poſſit, itemq. hoc per quod aliud, idque tantiſper, donec ac primam cauſam peruenerit, quod inuentione poſtremum eſt, intentione primum. veluti; ſi de hoſtibus victoria proponatur, qui finis eſt rei bellicae, primum animaduertimus opus eſſe militum copiis. tum inquirimus, maritimis ne vtamur, an terreſtribus, hiſque equeſtribus, an pedeſtribus, an vtriſque, & quo equitum, quo peditum genere, quo numero vtendū ſit, quis & ſingulis generibus, & vniuerſis dux praeficiendus: deinde pecuniis opus eſſe intelligimus, quibus & ſtipendia militibus, & cibaria, & inſtrumēta rei

belli-

bellicae comparentur: has vt paremus, aut portoria au gemus, aut tributum exigimus, aut tale aliquid facimus. itaque vt extremum illud, id eſt victoriam, aſſequi valeamus. primum omnium tributum miſeris ciuibus imperamus; Quaeſtoreſq. praeficimus, qui illud exigāt: tributo exacto ſtipendiarios conducimus: hos conductos, & in ſuas claſſes, ac genera diſtributos, ne ſingulis recenſendis tempus teram, poſtremo ad hoſtes ducimus, vt de illis victoriam reportemus. ita quod primum volumus, id poſtremo agimus: atque in conſulendo ab extremo ad initium reuertimur, in agendo ab initio ad extremum. hunc autem in conſulendo ab extremo ad initium reditum perſimilem eſſe Ariſtoteles dicebat deſcriptionis mathematicae reſolutioni. nam in mathematicis concluſione ſumpta, quam demonſtrandam ſuſcepimus, ea primum aſſumimus, quae continenter ac proxime ad hanc confirmandam faciunt: deinde alia, quae haec proxime antecedunt: tum ſuperiora alia, atque alia, donec ad principium venerimus. Patet igitur, non de fine, ſed de iis, quae ad finem conferunt, conſultari. Quae vero ad finem conferunt, quaeq. media quodam modo ſunt, aut in poteſtate noſtra ſunt, aut a noſtra poteſtate remota. Quae extra noſtram poteſtatem ſunt, ea in noſtram conſultationem non cadunt. immo tam diu de re quapiam deliberamus, quam diu a nobis eam fieri poſſe ſperamus. a nobis autem fieri dico, quae vel per nos metipſos, vel per amicos agimus, vel per quoſcumq. alios qui in noſtra poteſtate ſunt. vbi perſpeximus a nobis fieri non poſſe, deliberatione deſiſtimus. veluti ſiquis de bello ſuſcipiendo deliberet, atque ad id omnino pecunijs opus eſſe intelligat; ſi nullā conficiēdae pecuniae rationē inuenire poſſit, belli curā omnē abijciat neceſſe eſt. item que in ceteris vſu venit: Quae vero noſtri arbitrij ſunt, quaeq. a nobis fieri poſſunt,

partim

partim exigua ſunt, & vilia, ad quae operae pretium non eſt conſultores adhibere: partim magna, ardua, difficilia, in quibus omnis noſtra vertitur deliberatio: ad magna enim, ac difficilia conſiliarios adhibemus, nobis ipſis diffidentes, quaſi ſoli ſatis perſpicere, quid optimum factu ſit, nequeamus. talia vero ſunt, quae ad reipublicae adminiſtrationem pertinent. Quamuis enim & publicis, & priuatis in rebus conſilio vtamur: in publicis tamen magis prudentia elucet. ac rei quidem familiaris curam praeclára ſaepe ingenia dedignantur; rem vero publicam capeſſunt, ſuaque eam ſolicitudine dignam indicant. tum difficilius eſt, ciuitatem, quam familiam, regere: vt autem quodque difficillimum eſt, ita conſilio eget maxime. ergo magis in republica, quam in priuata, prudentia enitet. Denique, vt ager optime colatur, agricolae eſt videre: pecunia vſuris quemadmodum augeatur, hoc Ianus ſummus ab imo producet. nos autem non foeneratorem, aut agricolam, non patrem familias inſtruimus; ſed haec qualiacumq. ad principem virum & reipublicae amantem ſcribimus, cuius in ea gubernanda cura omnis, cogitatioq. conſumitur. Videamus igitur, quaenam ea ſint, quae plerumque in conſiliis agitantur. Haec vt facilius inueniamus, conſiderare oportet, quam ob cauſam extiterint concilia, coetuſque hominum, quae ciuitates appellantur. Ac primum ſatis conſtat, ſocietates omnes inter homines boni alicuius gratia contrahi, vt & cetera omnia quae ab hominibus aguntur. ergo maximam omnium ſocietatum, quae ciuitas dicitur, quaeque ſocietates omnes continet, maximi inter homines ac praecipui boni cauſa contractam eſſe dicendum eſt. hoc autem ſummum bonum, beatam ciuium vitam interpretamur, rebus omnibus ad bene beateq. viuendum neceſſariis affluentē. Cum igitur hic finis ſit ciuilis ſocietatis, quae ad hunc

finem conferunt, ea eſſe oportet, quae in conſiliis agi-
tentur. Ea vero ferme ſunt opes ac pecuniae publicae, quas patrimonium ciuitatis dicere poſſumus: bellica virtus, qua hoſtium iniuriae arceantur: tuendorum finium ratio, ne incertis ſedibus vagari cogamur: iura ac leges, quibus ſalus ciuiũ continetur: quae ad annonam pertinent, vt ad victum neceſſaria ſuppeditentur: quae cui deerunt, is ne viuere quidem poterit, nedum bene, beateque viuere. vere enim Ariſtoteles dixit, vix, ac ne vix quidem fieri poſſe, vt praeclaras res agat is cui nullae ſuppetunt facultates. Quocirca ciuitatem opibus abundare oportet, & bellica virtute valere, & poſſe fines tueri, & optimis legibus inſtructam eſſe, & annona commoda vti. Quinque igitur in rebus fere omnis deliberatio verſatur. aut enim de vectigalibus agitur: aut de bello, de pace, de foedere, de inducijs: aut de vrbis atque agri cuſtodia: aut de legibus ferendis, aut abrogandis: aut denique de annona, deque iis, quae ſuperſunt, exportandis, quae vero deſunt, importãdis. his fere omnis conſiliorum materia continetur. haec qui norit, is & cetera intelliget, quiq. in his exercitatus fuerit, ac diu multum que verſatus, is & ſi quid praeterea inciderit, facile videbit, deque eo non magno negotio deliberabit. Ergo vbi de pecuniis agitur, noſſe opus eſt & ſumptus, & reditus ciuitatis: reditus, vt ſiquis negligentia praetermiſſus fuerit, addatur; ſiquis tenuior ſit, augeatur: ſumptus: vt ſuperflui nec neceſſarii tollantur; & maiores, quam opus fuerit, minuantur. duplex eſt enim ratio implendi aerarij, pecuniaeque amplificandae, ſi & reditus augeas, & ſumptus minuas. nõ temere enim eſt quod vulgo dicitur, magnum eſſe vectigal parſimoniam. vtrumque quomodo fiat. non ſolum ex rei familiaris ſtudio & experientia, quam χρηματιστικὴν vocant, intelligemus, verum etiam ex aliarum ciuitatum con-

ſuetudine obſeruare poterimus. idemque hodie egregie reges ac principes callent: quod ſiquid ipſos fugerit, continuo praeſto ſunt Cybiratae illi Verrini, qui quaſi canes venatici omnia odorantur, omnes pecuniae vias norunt: hi eorum imperitiae opitulantur, neque eos ſinunt in tanto errore verſari. ſed de his hactenus. Nunc de bello ac pace dicamus, quorum vtriuſq. eadem eſſe deliberatio videtur. nam ſiue cõtraria ſunt, contrariorum eadem eſt diſciplina; ſiue ſe mutuo perimentia, qui vnum iubet, alterum vetat: ita bello ſublato, pax ſequitur; haec cum adeſt, bellum tollitur, fitque Terentianum illud, bellum, pax rurſum, vt omnino qui vnum norit, eiuſque cauſas uiderit, is & alterum expetendum an fugiendum ſit, intelligat. Sic de foedere, de inducijs conſultationem eſſe eandem dicemus. nam bellum aut ſuſcipimus, aut gerimus, aut deponimus. ſi ſoli ſuſcipimus, aut gerimus, bellũ ſimpliciter dicitur; ſi cũ alijs coniuncti, foedus, vel belli ſocietas nominatur. Si bello deſiſtimus, id facimus aut pactione aliqua, aut plane victis hoſtibus atque deletis. ſi pactione aliqua, aut omnino, aut ad certam diem arma deponimus. cum omnino deponimus, ea pax dicitur; cum ad certum tẽpus, induciae. Ac de ſuſcipiendo quidem bello deliberatio ad rempublicam pertinet, ſiue ad eam reipublicae partem, quae conſilijs praeeſt: gerendi vero belli cura fere omnis ad imperatorem ſpectat, idque & Lacedaemoniorum conſuetudine, & more maiorum. nam apud Lacedaemonios regum poteſtas domi quidem modica, ac multis erat legibus circumſcripta; nec fere quidquam ſine Ephoris ſtatuebant: foris autem abſoluto ac plane regio imperio vtebantur, ſummamque in bello poteſtatem habebant. itaque Agamemnõ, inquit Ariſtoteles, in concione aliorum conuicia patitur: vbi vero ad arma conclamatum eſt, ibi cuiuis imperium detrectanti

mortem minatur, penes ſe enim eſſe vitae neciſq.pote ſtatem. Noſtri vero maiores non ad bellum tantum imperatores αὐτοκράτορας mittebant, id eſt, ſummam rerũ omnium poteſtatem habentes, ſed domi quoque, vbi ſummum aliquod periculum imminebat, reſque praeſenti remedio indigebat, aut dictatorem creabãt, cuius abſque prouocatione erat poteſtas, aut eandem poteſta tem conſulibus dabant extremo illo, vt inquit Caeſar, atque vltimo Senatus conſulto. Dent operam conſules, ne quid reſpublica detrimenti capiat. Atque hoc ſa pienter a maioribus inſtitutum videtur. nam in bello pleraque ſubito eueniunt, quae neque multo ante pro uideri poſſunt, nec ſpatium dant Senatum aut principẽ conſulendi: itaque imperatoris prudentiae relinquenda ſunt. qui ſecus faciunt, iis non raro accidit, quod dici ſolet, vt dum Romae conſulitur, Saguntum expugnetur, aut occaſionem rei bene gerendae amittant, aut in exitium certum ruant, quemadmodum nuper Chriſtiani nominis hoſtibus vſu venit. Anno ſuperiore, cum ad Echinadas pugnatum eſt, ante pugnam, vt fit, duces hoſtium conſultabant. maior pars, vt accepimus, proelio abſtinendum cenſebant, quod re bene geſta, Cypro deuicta atq. in ſuam ditionem redacta, prae da ingenti coacta, nulla neceſſitas ſubigeret amplius eo anno fortunae aleam ſubire, ac noſtros laceſſere nihilo vel virtute, vel numero inferiores, & cum animis, tum rebus omnibus ad pugnam paratos. ibi orae maritimae praefectus nihil eſſe dicere, quod ea de re delibe rarent, quando ipſi a rege mandatum eſſet, vt omnino proelio decertaret. hic finis conſultandi fuit. Quod ſi li berum fuiſſet hoſtibus, pro re nata conſilium capere, nunquam nauale illud proelium commiſſum eſſet, quo proelio Turcarum claſſis deleta, nobis victoria parta eſt digna ſaeculorũ memoria ſempiterna. Ergo in deli-

gendo imperatore cautio diligens adhibenda eſt, vt optimum deligas: vbi delegeris, belli gerendi ratio eius arbitrio permittenda. illud ſtatuere; ciuilis eſt facultatis, hoc militaris. Bellum autem aut inferimus, aut illatū repellimus ac propulſamus. hoc reipublicae conſeruatio, illo imperij propagatio quaeritur. ad illud ſpe impellimur, ad hoc metu cogimur. hoc ſemper iuſtum, piumque eſt, & naturae conſentaneum, vim vi repellere: vereq. Samnitium imperator apud Liuium, Iuſtum eſſe bellum dixit, quibus neceſſarium, & pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes: illud plerumq. iniquū, niſi ſi pro religione Deique cultu aduerſus deſertores, aut in rebelles pro maieſtate imperij ſuſcipiatur. Interdum & repellitur & infertur, vel ideo infertur vt repellatur, alioq. belli impetus auertatur. quo conſilio Africam aggreſſus Scipio Annibalem ab Italia retraxit: Poenoſq. antea nobis infeſtos de ſalute propria cogitare coegit. Qui belli finem ſtatuit, vt ſine iniuria in pace viuatur, is qualis eſſe finis debeat, non qualis ſit, oſtendere videtur. ac verum fortaſſe illud eſſet, ſi in Socratis republica verſaremur. nunc autem nō cum perfectis hominibus res eſt, nec forſitan vnquam fuit, ſed cum iis, in quibus, praeclare agitur, ſiqua ſignificatio virtutis appareat, quiq. non raro, niſi petantur, vltro laceſſunt: nec ſepae cōtingit, vt plures reges ac principes, vnus poſt alium, deſides, ac pacis tantum artibus regnum ab aliorum iniurijs defendant. propterea & pacem interdum bello quaerimus, & ſaepe non id ſolum agimus, nec pace ſola contenti ſumus, ſed ideo bellum gerimus, vt fines imperij propagemus. Duplicē igitur eſſe dicamus finem bella gerentium: vnum, vt ſe, ſuaq. ab iniurijs tueantur: alterum, vt maius, & latius, atque opulentius imperium conſequantur. Alia vero deliberatio eſt, cum de ſalute, alia cum de imperio & gloria

decertatur. Cum de ſalute agitur, cumq. pro aris, ac focis dimicatio eſt, non illud quaerimus an bellum ſuſcipiamus (id enim vel inuiti cogimur, ſi ſalui eſſe volumus) ſed quibus copijs, quo apparatu, quibus praeſidiis vtamur. vbi de imperio certamē eſt, ibi & ſuſcipias nec ne bellum, deliberari ſolet, & vbi ſuſceperis, qua ratione potiſſimum adminiſtres. In ſuſcipiendo bello duo cōſideranda ſunt: vnum, vt vtile ſit quod ſuſcipitur: alterum, vt adſit efficiēdi facultas. vtile intelligo, & cum dānum vitatur, & cum acceſſio certa ſperatur. vitatur autem damnum, cum paci inſidae ac ſubdolae bellum anteponitur. vt enim pax, quae nihil habeat inſidiarum, ſemper eſt expetenda, ſic, vbi fraude agitur, crebriſque inſidiis petimur, bello pacem mutare oportet potius, quam per deſidiam pati, nos oſcitantes opprimi, & quaſi tabe conſumi. quem ad modum nuper Venetis ne acciderer verendum erat, niſi bellum aduerſus Turcas fortiter ſuſcepiſſent. In corporibus curandis prudentiores medici non diſſimili ratione vtuntur. Siquid infectum eſt, parumq. ſincerum, id tamdiu tolerant, & quaſi diſſimulāt, quoad illud quiete atque inedia ſanari poſſe cōfidunt: vbi vim morbi ſenſim gliſcere animaduertunt, latiuſq. in dies ſerpere, tum vero aperto Marte obſiſtūt, veneniſq. ac potentioribus remedijs labem omnem expellere, morbique cauſas radicitus euellere conantur: nec turbare paulum dubitant caducam illam, breuiq. duraturam quietem, vt firmam ac diuturnam corpori pariant ſanitatem. Vitatur item damnum, cum ciues inteſtina ſeditione laborantes in hoſtes ducuntur, in quos iras omnes effundant. nam vt otium diſcordias alere conſueuit, ita bellum externum ab inteſtinis malis plerumque ciuium animos auertit. itaque prudentius facere videntur, qui, cum hoſtium ciuitas in partes diuiſa eſt, parti adhaereant, quam qui vniuer-

ſos bello laceſſunt. namque hi diſiunctos hoſtium animos in concordiam redigunt, illi partis vnius auxilio alteram deſtruunt, mox & alteri non magno negotio imperaturi. Cum acceſſio quaeritur imperij, cauere oportet, nequid temere aggrediamur, ne ue, dum aliena quaerimus, de noſtris in diſcrimen veniamus, ſed vt boni ratiocinatores vtilitatum ſimus. quo in genere multa peccantur. Sic Numiſius Latinorum imperator vana vtilitatis ſpecie deceptus hortatur ſuos, vt Romanos victores nec opinantes adoriantur. ſuaeq. imprudentiae continuo poenas dedit. In eundem errorem lapſi videntur, qui patrum noſtrorum memoria Leonem Decimum pontificem maximum impulerunt, vt in bello, quod inter Mediolanenſes & Franciſcum Gallorum regem in citeriore Gallia gerebatur, expectato euētu pugnae victorem exercitum adoriretur. atque haec de vtilitate dicta ſint. Efficiendi facultas copijs conſtat, & auxilijs, & inſtrumentis bellicis, & commeatu. Copiae in terreſtres, & maritimas diuiduntur. maritimae in remiges, & bellatores. terreſtres in equitatū, & peditatum. equitatus in velites & cataphractos. pedites in haſtatos, principes, ac triarios, vt exempli gratia priſcis nominibus vtar. item peditatus alius inſidijs, alius obſidionibus, aut oppugnationibus vrbium, alius campeſtribus proeliis aptior, variaeque in ſingulis differentiae. Igitur vbi de bello agitur, vidēdum eſt, quid habeat res publica militum, aut habere poſſit, qua virtute, quo genere armaturae, tirones an veteranos, aliaq. eiūs modi. item quales hoſtium copiae ſint, quo militum genere, quo numero, qua virtute, quibus rebus aut inferiores noſtris, aut ſuperiores cenſeantur. tū quae noſtri, quae finitimi, quibus cum hoſtibus bella geſſerint, quem exitum illa habuerint. nec hoſtium tantum copias noſſe oportet, ſed etiam eorum, quos aliquādo fore nobis hoſtes

ſtes ſuſpicari poſſumus: potentiores vti conciliētur; tenuiores vti eo loco, quo viſum fuerit, habeantur. itē eorū copiae ſimiles ne noſtris ſint, an diſſimiles, quādo ea quoque re vel ſuperiores in bello, vel inferiores merito iudicamur. atque heic itidem ſpectanda ſunt bella ante geſta & a noſtra republica, & ab alijs ciuitatibus, eorumq. exitus obſeruandi. plerumq. enim ex ſimilibus ſimilia exiſtere conſuerunt. In auxilijs ſociorum, praeter haec, quae de noſtris copijs diximus, conſiderare oportet, quantum in eis praeſidij ſit. nam & illud videndum eſt, ne nomen magis ad praeſidium, quam vires afferant; quod Sidicinis bello Samnitico accidiſſe teſtatur Liuius ab auxilio Campanorum, & Samnitibus a praeſidio Tarentinorum, & ferme centeſimo ante anno quam haec ſcriberemus, idem Florentinis accidit ab auxilio Gallorum: & praeterea ſummo ſtudio ac diligentia cauendum, ne noſtris copijs potentiora ſociorum auxilia ſint, ne ſpecie foederis nobis imperitent; quemadmodum Romani olim ſocijs ſub praetextu foederis imperabant: ijdem vero cauebant, ne in exercitu maiores eſſent ſociorum vires, quam legionum: ne ve ſocij ſine Romano duce, exercituque proprijs viribus conſilijſque bella gererent. quorum prudentiam ſi ante oculos habebimus, nunquam temere de bello ac pace deliberabimus. Nec minore cura inſpi cere oportet, vnde inſtrumēta bellica comparentur, vbi baliſtae, vbi tormenta quibus hodie vtuntur, vbi pilae aeneae, vbi puluis ex nitro & ſulfure, aliaq. huiuſcemodi cōficiantur, aut iam facta conſeruentur. item vnde funes ac rudentes aliaque inſtrumenta nauium parari poſſint, denique omnia quibus claſſis inſtruitur. haec multo ante prouidenda ſunt, magnaq. diligentia conquirenda, tum locis opportunis atq. idoneis conſeruanda. Nam quid ego de commeatu dicam? quod vnum omnium maxime

me neceſſarium dicere poſſumus, idque imperatoris omnium, qui vmquam fuerunt, facile ſummi, Dictatoris, inquam, Caeſaris exemplo atq. auctoritate. is nullam expeditionem ſcribere aggreditur, quin his, aut ſimilibus verbis initio vtatur. Re frumentaria comparata. nimirum intelligens, omnia imperatorum cõſilia irrita fore, atq. inania, niſi ad victum neceſſaria ſuppetant. Igitur & frumenti quod ſatis ſit parandum eſt, & loca idonea panificio deligenda. nam ex ijs, quae ad efficiendi poteſtatem pertinere diximus, hoc erat extremum. De bello ſuſcipiendo ſatis dictum eſt. de gerendo vero quamquam, vt ante dixi, deliberatio fere omnis ad imperatorem ſpectat, non nulla tamen a Senatu, vel ab ijs, qui conſilijs praeſunt, ante prouideri poſſunt. veluti ſi bellum repellimus, videre oportet, qua iter hoſtibus pateat, quae caſtella munienda ſint, quae cuique loco praeſidia relinquenda, quibus rebus aut iter hoſtibus impediatur, aut eiſdem cibaria, iumentiſq. eorum pabula adimantur. Si bellum inferimus, itidem videndum eſt, quo itinere, quibus auxilijs rem aggrediamur: neque enim leuia aut ludicra petuntur praemia. nec temere contemnendi ſunt, qui loca poſſident prohibendo itineri opportuna: cuiuſmodi eſt Vrbinatium regio: quae natura loci ijs, qui eam poſſident, maximorum regum amicitias conciliat. Quod ſi noua quaepiam expeditio ſuſcipienda eſt, præſertim aduerſus longinquam aliquam nationem, circũſpectare oportet, quibus quaſi gradibus ad eam pertingere valeamus. gradus autem voco finitimos hoſtium populos, quibus opem ferendo noſtris interdum armis aditum aduerſus alios patefacimus. Ita maiores in Samnium ſe per Campanos inſinuarunt: per Camertes in Etruriam, per Mamertinos in Siciliam, per Saguntinos in Hiſpaniam, per Maſiniſſam in Africam, per Aetolos in Græciam, per Eumenẽ,

& alios in Aſiam, per Maſſilienſes & Aeduos in Galliã penetrarunt. Sed inconſulto agere alicui videri poſſim, ſi de conſilio diſputans extra propoſitae rei limites neſcio qua ſtudij dulcedine illectus vagari diutius pergã. itaque ad propoſitum reuertar.

Vrbis, atq. agri cuſtodia, tuendorumq. finium ratio fere omnis in eo poſita eſt, vt & loca deligas arcẽdis hoſtibus opportuna, & quot, quibuſue copijs ea tueri oporteat, intelligas. veluti quo numero peditum, aut equitum, quo genere armaturae. nam & illlud ſpectare oportet, vt parum idoneis locis relictis, in opportunioribus praeſidia diſponantur: & praeterea ſi minor cuſtodia ſit, quàm ad ea tuenda ſit ſatis, militum numerus augeatur: ſin maior quam opus fuerit, minuatur: ne reſpublica ſumptu immodico, minuſque neceſſario prematur. Quibus autem locis praeſidia collocanda ſint, vt intelligas, & regionis, & rei bellicae peritum eſſe oportet. tum praeſidijs viri praeficiendi ſunt ſpectata virtute, ac fide. Nec vero de ea nunc cuſtodia loquimur, qua latronum, ac ſicariorum ſcelera prohibentur: nam hoc ad leges attinet: vel ad magiſtratus potius: cum abſq. magiſtratuum auxilio irritum, atq. inane ſit legum imperium. Sed & magiſtratuum vana eſt iuriſdictio, niſi eam Princeps ratam habeat. Qui vero Princeps magiſtratus auctoritatem infringit, ſuum imperium labefactat. Nihil eſt autem tam publicae quieti, ac iuſtitiae aduerſum, quam ſtatuæ Principum, id eſt, propinqui eorum qui praeſunt gubernaculo reipublicae. per hos maleſici, ac ſceleſti homines legũ pœnis eripiuntur. hinc omnia non in agris ſolum, & ſiluis, ſed in ipſa vrbe caedibus infeſta. itaq. magiſtratuum nomina tantum manent, auctoritas periit. Et nos tot iam annos hac infamia laborantes tanto opere nihil agimus. Hoc illud eſt multorum ab Homero damnatum imperium, in quo

peſſimo cuique quicquid libet, licet. omnes Principis munia ad ſe trahere: illi ſatis eſſe vitam producere, & non tam imperio, quam imperij inſignibus vti. quaſi præcipua regentis gloria ſit, non bene, ſed diu regere. At qui Principi dies vnus bene, ac ſapiēter actus inerti, turpiq. immortalitati eſt anteponendus. Sed redeamus, unde digreſſi ſumus. Nec inutile fuerit cogitare, quos imperii, reiq. publicae perpetuos hoſtes habeamus: vt aduerſus eorum quamuis repentinos impetus, aut terreſtribus, aut maritimis copiis inſtructi ſimus. alio autem copiarum genere portus, alio importuoſa litora cuſtodiuntur. item alio genere nauium oceano, alio mediterraneo mari vtimur. Ac perpetuos hoſtes Chriſtiani nominis Turcas dicere poſſumus: quibus cum ad certum, ac potius incertum tempus, induciae nobis eſſe poſsūt: fida pax eſſe, aut ſperari vix poteſt. Praeterea rebus publicis tyrannica, ac violenta imperia, praeſertim ſi finitima fuerint, ſemper infida. Quibus autem, vt hodie Philippo Hiſpaniarum regi, neceſſe eſt, ob ſuarum vrbium, & regnorum tutelam habere perpetuo claſſem paratam, ij ſibi eximios rei naualis peritia, & opibus Duces adiungere debent, eoſq. ſtipendiis, atque honoribus augere: & vel iniquis conditionibus cum Principibus, ac ciuitatibus, quae claſſe valent, ſocietatem, contrahere: quando quicquid ab illis accedit auxilii, id omne ſuae impenſae decedere, ſibiq. in lucro deputandum eſſe intelligunt: & praeterea in ſuos hoſtes plures hoſtes concitant. Tum ſi quis diligenter obſeruet, quibus quiſque praeſidiis in ſuae ditionis locis hodie vtatur, quibus veteres vſi ſint, quot ad Rheni ripam, quot in Pannonia aliiſque propinquis hoſti locis legiones, aut cohortes habuerint, quo pacto deductis colonijs parum firmos in officio continuerint: numquam ad conſultandum de cuſtodiendis finibus imparatus acce-

det. Conſtruendarum etiam arcium, muniendarumq. vrbium peritum, atq. intelligentem eſſe oportet: quae forma, quae craſſitudo murorum, atq. aggerum, quae foſſarum latitudo, ac profunditas melior; vbi caſtella erigenda ſint; incluſa ne aqua foſſae tutiores ſint; propterea quod haud ita facile cuniculis ſubruantur quae huiuſmodi foſſis ambiuntur: an abſque aqua meliores. quod eae difficilius cratibus, aut ſarcinis in oppugnationibus impleantur: an quæ vtrumq. habent commodum, vt & aquam contineant, &, vbi viſum fuerit, claui circumacta nullo negotio ſiccari poſſint, quales Ferrariam vrbem claudunt. ad haec quae in plano, quæ in editioribus locis cautio adhibenda, quo minus arces tormentorum ictibus obnoxiæ ſint, minuſue e ſuperioribus locis opprimi valeant. tum quae latioris, quæ contractioris ambitus vtilitas: quod alter minore militum numero defenditur, alter & plures capit, &, ſi muri diruantur, alii interea ſubſtitui intus poſſunt. tametſi cura haec magnam partem ad architectum, & ad praefectum fabrum ſpectat. Atq. haec de vrbis, atq. agri cuſtodia dicta ſint. In iis, quæ ad annonam pertinent, videre oportet, quantum frumenti, aliárumq. rerum ad victum neceſſariarum opus ſit hominibus noſtrae curae, ac ditioni ſubiectis, atque ex his quid noſtra ferat regio, quid aliunde petendum ſit: tum qui iis, quæ nobis deſunt, abundent, qui indigeant ijs quae ſuperſunt. vtroſq. enim amicos habere expedit: vt ab illis neceſſaria patemus, his autem ſuperflua vendamus, eaq. via noſtros reditus augeamus. Haec fere ſunt, quae de hoc genere dici poſſunt. nec fortaſſe vlla facilior deliberatio, ſi publicum, non priuatum commodum ſpectes. At vbi poſthabita populi vtilitate, qui remp. adminiſtrant, aut monopolia exercent, quod (vt alia exempla praeteream) ab iis, qui regno Neapolitano praeerant, interdum

terdum

terdum fieri vidimus; aut auri cupidi, famae prodigi, miſerorum ciuium alimenta non exteris tantum, verū etiam Chriſtiani nominis hoſtibus vendunt,& popularium fame quaeſitum lucellum cum mercatoribus partiuntur: ibi illa multitudinis in regentem rabies, hinc dirae in Principem, ac temporum exſecratio, qua omnia vndique perſtrepunt.vt iam mirandum non ſit, hos publicae calamitatis auctores e ſublimi gradu aliquando ad infima deprimi. nihil enim populi vehementius iram accendit, ac tenuiorum hominum, quorum maior eſt numerus, in potentiores odia concitat, quam annonae caritas,ac fames non ſterilitate terrae, ſed hominum culpa inuecta. De legibus autem,in quibus ciuitatis poſita eſt ſalus,aut ferendis,aut abrogandis deliberans, in primis noſſe debet genera, ac differentias rerum publicarum.Sunt enim leges ad reſpublicas, nō reſpublicae ad leges accommodandae. tum quae cuique generi conſeruando, quæ corrumpendo idonea,& propria eius generis,& contraria: nam reſpublicae interdum a ſuis, ac propriis, non ſolum a contrariis, vitiantur. veluti ſtatus reipublicae popularis, cuius proprium eſt libertas,ſi aut nimium relaxetur, in popularem licentiam labitur;aut nimium contrahatur,in paucorum potentiam tranſit: idemq. in ceteris vſu venit, praeter quam in optimo reipublicae ſtatu, cuius proprium eſt virtus, veraq. regendi ſcientia, quae nimia eſſe numquam poteſt. Ac rerum publicarum genera Plato, & Ariſtoteles, vt alio loco retulimus huius doctrinæ proprio, ſex eſſe numero ſtatuerunt. ſummam enim in republica auctoritatem,aut vnius eſſe,aut paucorum,aut multitudinis.vbi vnus ad eorum,qui regun tur, vtilitatem imperet, id eſſe regnum: tyrannidem vero, ſi ad ſuam vnius vtilitatem omnia referat. vbi pauci praeſint e reipublicae vtilitate, optimatum rempublicam:

publicam: vbi omnia ſuo commodo metiantur, paucorum potentiam appellari. ſic, vbi ſumma poteſtas ſit penes multitudinem, cui ſalus omnium, atque vtilitas in adminiſtratione propoſita ſit, hanc generis nomine, vti ſuo, ac propio, rempublicam nominari: popularem autem licentiam, ſi tenuiorum, atq. infimae ſortis hominum arbitrio, ac libidine omnia gerantur. Itaq. de legibus conſultantem & iuris ſcientia, & ciuili facultate praeditum eſſe oportet. praecipue vero callere debet eam reipublicae formam, in qua verſatur, vt, quae leges ei conueniant, intelligat. Sed profecto huius noſtræ reipublicae inſtitutis, ac legibus haud facile in terris perfectius reperiri, nec fortaſſe animo fingi mea quidem ſententia quicquam poteſt. vt in alijs humanã originem, huius Deum auctorem poſſis agnoſcere. Primum enim eius amplitudinem, atq. imperij latitudinẽ intueri licet, omnes Chriſtiani orbis partes vndique amplectentem: deinde regum, ac principum, populorumque omnium conſenſum ſponte parentium, &, vt par eſt, Dei vicarium, adorantium: eius abſolutiſſimam rerum omnium, atque etiam abluendarum animi ſordium poteſtatem. tum & ad ſummum, & ad alios gradus vnicum ex opinione virtutis aditum. vt illud omittam, quod exemplis innumerabilibus compertum eſt, ad Pontificatum homines diuinitus potius, quam hominum ſuffragijs peruenire. ad haec videmus ditionem hanc nullis inſidijs obnoxiam, ab omni prorſus periculo remotam: modo ne ſuam ipſe auctoritatem princeps minuat, quod fit, vbi alicui parti adhaeret, atque a communis omnium parentis officio deſcedit. Itaque vt in corporibus, quae, vti cetera mortalium, natura fluxa, atque caduca ſunt, neceſſe eſt aliquando aut partium intemperie, aut extrinſecus morbos gigni: ſic & rebus publicis, ac regnis duplex

plex

plex & ab internis, & ab externis periculum impēdet: huic ſoli nullum extrinſecus periculum imminet: ſed ſiquis eam impugnare nititur, ceteri principes vt parentem defendunt. ab inteſtinis tantum malis cauendū eſt, hoc eſt, ne res ipſius in propinquos principis diſtrahantur: ne ve is, qui praeſidet, a virtute deſciſcat, aut in conſilium indignos aſſumat, atq. eius auctoritas ea ratione minuatur. Et quod ad bonorum diſſipationem attinet, ſiquis huic malo lege lata obuiam eundum cenſeat, cogitare debet, quo pacto ſimul & reipublicae caueatur, & ſucceſſoribus integra poteſtas maneat. quod ſane difficillimum videtur. Verumtamen vt Romanus Pontifex, cum omnia poſſit, ſucceſſorem ſibi noſtris moribus haud quaquam legit: ita videndum eſt, an eiuſmodi cautio excogitari poſſit, qua ſalua ſucceſſorum auctoritate alienationes in poſterum impediantur: quod ſapienter & Pii Quinti, & aliorum Pontificum ſanctionibus prohibetur. Quae vero alienata iam, & diſtracta ſunt, ea mouere omnino huius reipublicae rationibus aduerſum. nam cum tuta & praeſentia incertis & periculoſis anteponenda ſunt: tum nihil minus expedit, quam reuocare in dubium ſuperiorum principum poteſtatem: de qua vel in ijs quae alienata ſunt, vel in ceteris dubitare eſt nefas: ne ex eo confuſio rerum omniū, & perturbatio reipublicae oriatur. Nec male conſultum videri poſſit, ſi eadem cautio adhibeatur, vt in Senatum legere ne liceat affines, & cognatos intra certum gradum, ne in propinquos amor officiat iudicio in patribus deligendis. eorum autem commodis, ac dignitati alia via conſulerem abſq. reipublicae detrimento. Quid igitur? cuius alioqui virtus excellit, is peiore conditione erit ob cognationem principis? Eius ego opera & conſilio arduis in rebus vterer, eumq. ſucceſſoribus commendarem:

rem: quibus honorificum foret, extincti principis neceſſarios, qui innocenter, ac modeſte vixiſſent, quorumque perpetuo vitae tenore probata virtus eſſet, honore proſequi. deniq. dignos praeteriri ſatius eſt, quam indignos eligi. In legendis autem patribus æquũ eſt haberi rationem etiam eorum, qui regum, ac principum teſtimonio commendantur. ſed regibus, ac principibus, qui ignotos, atq. indignos commendarint, ſupremi iudicii pœnae denuntiandae: eaſq. pœnas vtile fuerit, quot annis die certo inter ſacrorum ſolemnia promulgare, ut aeternæ damnationis metu minus indulgentes in re tanta ſint in eos, qui vilibus obſequiis ipſorum gratiam aucupantur. Eorundem preces a comitijs procul arcendas merito ſuperiorum Pontificum conſtitutionibus cautum eſt. quiq. eas in conclaui, aut extra recitauerint, ii mihi videntur omnino legibus coercendi. Ac profecto mõſtri ſimile eſt, inueniri quẽpiam e numero Cardinalium, qui profiteri audeat, ſe, cui ſuus rex iuſſerit, ſuffragaturum. nec pudet homines nobiles, in ſublimi dignitatis gradu cõſtitutos, Dei miniſtros in re humanarum omniũ maxima, ita ſe abiicere, vt ſibi etiam gloriae ducant, voluntati vnius hominis inſeruire. quod qui facit, is etſi Deum eſſe verbis fatetur, re tamen negat. nam quid attinet, ante ſuffragia, ſancti ſpiritus illuminationem petere ſolemni illo ſacrificio diuinitus inſtituto, ſi iam certum, & fixum eſt, hominem Deo praeferre? at qua mercede pudet referre, quam vili ſeruiant. Haec, aliaq. huiuſmodi conſideranda fuerint, ſi quis vmquam princeps verae gloriae ſtudioſus de his vitijs corrigendis agitauerit. Nec minimum adiumentum conſulenti de legibus afferet hiſtoriarum lectio, itemq. eorum, quae mandata litteris & praecepta ſunt a doctis viris, aut in republica verſatis de optimo ſtatu ciuitatis, deq. varijs diuerſarum

uerſarum gentium moribus, & inſtitutis. Haec ferme ſunt, quae plerumq. in conſilijs agitantur. Sequitur id quod ſecundo loco propoſuimus diſputandum: qualis ſcilicet eſſe debeat is, qui conſilium daturus eſt. Ariſtoteles in rhetoricis tria eſſe docet, quae faciunt, vt hominibus fides habeatur: prudentiam, virtutem, beneuolentiam. homines enim aut imprudentia decipi, quo minus, quid vtile ſit, intelligant: aut, ſi intellexerint, adduci ſolere vt ſecus, ac ſentiunt, loquantur; aut improbitate animi, aut odio eorum, quibus cum loquuntur. Itaq. conſiliarium & prudentem eſſe oportet, & virum bonum, & praeterea ijs, quibus conſulit, amicum. Iure igitur Pericles apud Thucydidē queritur, iniuria ſibi Athenienſes tali viro iraſci, qui & in cognoſcendo reipublicae vtilia, & in iis, quae noſſet, explicandis nulli inferior, & patriae amans eſſet, & a pecunia inuictus. ex quibus poſtremum ad probitatē, prima duo ad prudentiam referuntur, cum rem prouiſam verba haud inuita ſequantur, medium amorem in patriam aperte vocat. Ac ſine dubio in conſilijs prudētia primum locum obtinet. Etenim ea pars animi, in qua ratio ineſt, quaq. a ceteris animantibus diſtinguimur, & quaſi ſegregamur, duplicem habet vim. altera verſatur in ijs quorum eſt ſcientia, quæ ſemper eodem modo ſe habent, ſuntq. neceſſaria, aeterna, immutabilia, eiuſq. extremū eſt adeptio veritatis, neque vllum alium habet finem: altera verſatur in ijs, quae aliter, atq. aliter habere ſe poſſunt, quae & ipſa in duo genera diuiduntur. alia enim proprie effici dicuntur, quorum opus remanet, atq. ad artem pertinent: alia non effici, ſed agi, eorumque finis eſt actio, atq. haec ad prudentiam referuntur, cuius proprium eſt, in iis, quae pertinent ad bene, beateq. viuendum, quid expetendum, aut fugiendum ſit, intelligere. Eſt igitur prudentia in rebus agendis, ac fu-

giendis rectus rationis vſus: prudentemq. bonum ratiocinatorem vtilitatum dicere poſſumus. Conſulere autẽ nihil aliud eſt(vt initio diximus)quam quid agendum,aut fugiendum ſit,inquirere,ac ratiocinari:quiq; bene in rebus agendis,aut fugiendis ratiocinatur,is bene conſulit,quod proprium eſt prudentiae munus.Eius autem initium, ac veluti fundamentum eſt naturalis quaedam vis, & quaſi mentis oculus, quae δεινότης a Graecis dicitur: atq. in alijs magis, in alijs minus elucet, prout cuique maior, aut minor data eſt ad intelligendum indoles. haec ſi ad bonum dirigitur, & longo rerum vſu excolitur, ac perficitur, inhabitum tranſit; quae prudentia nominatur. huic opitulantur igniculi quidam a natura dati, & quaſi ſemina prudentiae; in celeriter coniiciendo ſollertia, quae ἀγχίνοια vocatur a Graecis, eſtq. ſpecies τῆς εὐστοχίας: tũ mentis acies, ac dexteritas in iis, quæ dicuntur, aut aguntur, illico percipiendis, quae σύνεσις appellatur: nonnulli ſagacitatem nominarunt: ſed σύνεσις ad bonum ſemper, ſagacitas interdum ad malum flectitur: praeterea boni, & moderati viri de rebus exiſtimatio,quae Graece γνώμη dicitur. haec omnia, vt & prudentia, & quaecũque ſub actionem cadunt, in ſingularibus verſantur. His naturae bonis Themiſtoclem egregie inſtructum Thucydides narrat:quod abſq.vlla diſciplina, naturae tantum vi, ac ſuopte ingenio,& de inſtantibus veriſſime iudicabat, & de futuris callidiſſime coniiciebat. ſed haec apud Thucydidem melius, ac pluribus.Quamquam autem ille nulla ſibi doctrinae adiunxerat adiumẽta,erat tamen in republica diu, multumq.verſatus, in qua eminendi ſtudio ſic incenſum legimus, vt ſomnum capere non poſſet: cumq. noctu in publico ambularet, eius rei cauſſam ſciſcitantibus reſpondiſſe,Miltiadis trophaeis ſe e ſomno excitari. Valet igitur ad prudentiam mul-

multum aſſiduus rerum vſus: quodq. a vetere poeta de ſapientia dictum eſt, vſus me genuit pater, mater peperit memoria, id non minus apte de prudentia dici poteſt, cum ea praecipue longo, atque aſſiduo rerum vſu paretur. qui in iuuenibus plerumq. nullus eſt. eoque merito Alcibiades a Socrate ridetur: qui cum eſſet admodum adoleſcens, in concione Athenienſium de bello, de pace, deq. alijs ad rempublicam pertinentibus verba facere geſtiebat, quarum rerum per aetatem vſum ille nullum habebat. In primis autem in hoc genere vitandum eſt, ne incognita pro cognitis habeamus, ijſque temere aſſentiamur. nam illud, vt pleraque alia, ſcriptum eſt a Platone, diuinitus, tria eſſe hominum genera, vnum peritorum, atque intelligentium. alterum imperitorum, & ſuam imperitiam agnoſcentiũ: neutros horum errare, aut decipi: priores enim ſua ſponte intelligere: poſteriores intelligentibus credere, ac dicto audientes eſſe. tertium eſſe genus eorum, qui nec intelligunt, & ſe ſcire, atq. intelligere opinantur. atq. hunc eſſe errorum omnium fontem. hos omnia audere, ſibiq. & alijs male conſulere. hoc fere, vt dixi, adoleſcentibus accidit. qui in tam breui vitae ſpatio pauca experti, ac propterea raro decepti, bene de omnibus exiſtimant, eoque facile, quae volunt, credunt: ac ſpei pleni, putant ſibi omnia ſucceſſura ex animi ſententia: idcirco omnia confidenter & agunt, & loquuntur, nihil dubitant, omnia aſſeuerant. hinc ille apud poetam queritur, labi, ac ruere omnia cœpiſſe, vbi ad rempublicam acceſſerint noui, ſtulti, adoleſcentuli. Itaq. maiores noſtri, & ante eos Lacedaemonij, eam partem, quae reipublicae conſulebat, a ſenibus ſenatum appellarũt. Nec vero cum adoleſcentibus prudentiam denego, continuo ſenibus eam tribuo. neque enim adoleſcentia erroris cauſa eſt, ſed imperitia, quae plerumque il-

lius aetatis eſt comes. nec raro ſenes inuenias puerili ingenio praeditos, vt & adoleſcẽs interdum reperitur. Ante annos animúmq gerens, curamq. virilem. Sed, quod plerumque fit, exponimus. Hoc vitium effugere qui volet, adhibebit ad conſiderandas res & tempus, & diligentiam: & pro cuiuſq. rei natura de re quaque iudicabit, vt certa pro certis habeat, incerta pro incertis: nec de iis, quae aliter cadere poſſunt, ante exitum rei quidquam ſibi certi pollicebitur; memineritq. multa nec opinato accidere ſolere: denique conſiderabit humanarum rerum inconſtantiam, atq. occultas hominum voluntates, multipliceſq. naturas: dictumq. illud Epicharmi ſemper in memoria habebit, neruos atq. artus eſſe ſapientiae, non temere credere. Quamuis autem ante dictum ſit, prudentiam gigni ſolere, vbi ad naturam vſus acceſſerit; poſſunt ea tamen doctorum etiam hominum ſcriptis, ac lucubrationibus adiuuari: praeſertim ſi, quae ab illis didiceris, ex vmbra in ſolem proferas, atq. ad vſum dirigas. aliter enim afficimur ijs, quae ſola cogitatione aſſequimur, aliter ijs, quae vſu percipimus, atq. agendo experimur. neq. enim facile cuiquam, atq. haud ſcio an nemini contigerit quod de Lucullo Cicero ſcriptum reliquit: cum totum iter, & nauigationem conſumpſiſſet partim in percontando a peritis, partim rebus geſtis legendis, in Aſiam factum imperatorem veniſſe, cum eſſet Roma profectus rei militaris rudis. ſed vt hoc magno Luculli ingenio licuerit, qui me audiet, is nec vſum negliget, & praeterea quaecumq. alij longo vſu deprehenderint, ex omnis aeui memoria repetet, ſibiq. ſubſidio & ſuam, & aliorum diligentiam comparabit. nam qui ſola doctrina, aut vſu ſolo contenti, alterutrum negligunt, ij mihi videntur monoculi eſſe malle, cum vtroq. ſi velint oculo vti poſſint. Igitur in veterum monumentis, & in

vſu

vſu quotidiano obſeruandum eſt, quod genus vitae: quae ſtudia ſequantur, & non principum tantum & priuatorum hominum, pauperumq. ac diuitum, tenuiũ ac potentium, nobilium & ignobilium, diuerſarumq. gentium, ac populorum, ſed etiam, vt Horatius praecipit, Aetatis cuiuſq. notandi ſunt tibi mores. Atque, vt alia praeteream, quae infinitum eſſet perſequi, non parum ad prudentiam conferet, ſi quis & apud Thucydidem, & apud Liuium, alioſq. egregios hiſtoriarũ ſcriptores obſeruabit, quid e diuerſarum partium legatis pro ſe quiſque dixerit, quibus rationibus ſuam quiſque cauſam defenderit, quid a ſenatu, aut ab ijs, qui conſilio praeerant, reſponſum ſit, quibus rebus adducti pacem, aut inducias fecerint, aut bellum indixerint, aut ſocietatem contraxerint, aut repudiarint: tum quæ ſeditionum, quae bellorum ciuilium cauſae, aliaque huiuſmodi. quaeq. obſeruanda diximus in ijs, quae in conſilijs agitantur, eodem pertinent. De prudentia, quod ad propoſitum attinet, ſatis dictum eſt. deinceps de conſiliarij virtute dicamus. Ac ſi ſubtiliter, & quaſi ſummo iure agere velimus, nec virtus abſq. prudentia eſſe poteſt, nec ſine virtute prudentia. Etenim quicquid non temere agimus, id conſulto agimus: quicquid conſulto agimus, id eligimus; eſt enim electio appetitio cum ratione. vtq. electio bona ſit, neceſſe eſt & rationem rectam eſſe, & appetitum bonum. appetitum autem virtus perficit, rationem prudentia: quae nihil eſt aliud, quam perfecta, & ad ſummum perducta ratio rerum agendarum. Cumq. appetitio ſit alicuius finis, conſultatio eorum, quae ad finem tendunt, vt ſupra demonſtratum eſt: finem bonum eſſe oportet, vt conſultatio recta ſit, & conſultationem rectã vt bonum finem conſequatur: quorum alterum virtutis, alterum prudentiae munus eſt proprium. Praeterea.

rea virtus omnis in mediocritate conſiſtit,quae eſt inter nimium, & parum: atq. haec mediocritas a recta ratione, ideſt, a prudentia definitur, & quaſi circumſcribitur.igitur cui prudentia ineſt, quae quaſi dux eſt virtutum omnium,quiq. in vna quaque re medium videt, huic neceſſe eſt omnes virtutes ineſſe.quodq. poeta cecinit, Nullum numen abeſt,ſi ſit prudentia. non minus vere dixeris, Omnis adeſt virtus, ſi ſit prudentia.Haec ſubtiliter,& vere a Peripateticis diſputantur: nec fere quicquam apud illos certius, quam virtutes omnes inter ſe nexas eſſe, & iugatas. Sed haec quamquam re coniuncta ſunt,ratione tamen diſtinguuntur: alia eſt enim ratio virtutis, alia prudentiae. quae nos cauſa primum impulit, vt virtutem a prudentia ſeiungeremus. Deinde non hoc loco agimus de virtute, ac prudentia omnibus numeris abſoluta: nam ſi ad exquiſitam illam regulam exigantur, haud facile quemquam reperias virtute, ac prudentia praeditum: ſed vt vulgus alios prudentes vocat,alios fortes, alios temperantes, ſic & nos de ijſdem loquimur oratione populari, atq. ad communem vſum accommodata, vt & Ariſtoteles in rhetoricis locutus eſt,quamuis eadem in ethicis via valde diuerſa, exquiſitaque tractaſſet. aliter enim his de rebus diſputari ſolet ab ijs, qui eas ad vſum transferunt, aliter a philoſophis, vbi veritas in diſputando limatur. hi namq. abſolutam cuiuſq. rei perfectamq. imaginem quaerunt: illi ad hanc reſpicientes ea tradunt, quae ad inſtitutionem vitae communis ſpectare videntur.Sic& nos conſiliarij virtutem quaerimus, non eius qui nunquam fuit, ſed qualis interdum oculis cerni, non animo fingi ſolum poſſit. Quoniam igitur, vt huius diſputationis initio demonſtratum eſt, conſilium e genere eſt corũ, quae ad aliud referuntur,eoq. eius vtilitatem reſpicit, cui conſilium

datur:

datur. omnes autem virtutes, quibus hominum mores expoliuntur, quatenus ad alios pertinent, ſub communi iuſtitiae nomine continentur: hinc manifeſtum eſt, hanc in primis iuſtitiam in conſiliario requiri; hoc eſt vnamquamque virtutem, quatenus ad alterum refertur, conceditq. vnicuiq. quod ſuum eſt. ſic ea virtus, quae in bono, atq. laudabili diuitiarum vſu verſatur, quatenus ea exculti ad bene, ac liberaliter agendum ſumus aptiſſimi, liberalitas dicitur: quatenus autem ſic affecti nec aliena rapimus, &, quae debemus, patriae, parentibus, amicis, alijſq. tribuimus, iuſtitia nominatur. itidem recti in ijs, quæ ad honores, aut corporis voluptates attinent, habitus, quatenus illis ornati nemini per ambitionem, aut intemperantiam iniuriam facimus, ad iuſtitiam referuntur. eademq. ratio eſt virtutum omnium: omnes enim, quatenus ad alios pertinent, eodem iuſtitiae nomine cenſentur. hac iuſtitia qui caret, quiq. ambitione, vel auaritia, vel alia perturbatione animi obcaecatus, honoris, aut vtilitatis ſpeciem honeſtati, atq. officio anteponit, ab eo fruſtra fidele conſilium expectes. neq. enim quibus debet conſulet, ſed quibus libertatem ſuam ſpe honoris, aut pecuniae mancipauit. quo vitio nihil deteſtabilius: tollit enim, ac funditus euertit fidem, ideſt, iuſtitiae fundamentum, ac praecipuum vinculum humanae ſocietatis. nam quibus fidem habeamus, ſi decipimur ab ijs, quos in conſilium aduocauimus? tecti eſſe ad alienos poſſumus: ab amicis, ac familiaribus (neq. enim ab inimicis conſiliũ petitur) qua ratione caueamus? Quod ſi ea peccata ſunt animaduertenda maxime, quae difficillime praecauentur: quae digna pœna ſtatuetur in eos, qui virtutis, ac beneuolentiae ſimulatione amicos, aut patriam, aut principem fallunt? Et, ſi depoſiti infamis eſt actio, quod minime deceat, rem tuae fidei creditam

ditam ad vſum proprium transferre, ac deriuare: qua infamia afficietur is, qui in ſuum commodum conuertit non veſtem, aut ſupellectilem, ſed famam, atq. exiſtimationem principis, non raro etiam ſalutem ſuae fidei commendatam? Ab eius modi peſte cum ceteris regibus, ac principibus, tum praecipue Caeſari cauendum eſt, vt imperium diuturnum ſit. Vt enim domum, ac nauim, ſi fundamenta infirma ſint, cito dilabi, ac ruere neceſſe eſt: ſic imperium, niſi firmiſſimo virtutis fundamento nitatur, diuturnum eſſe vix poteſt, praeſertim quod non ſua vi, ſed conſenſu parentium ſuſtinetur. Videat igitur, vt conſiliarios, ac miniſtros circum ſe habeat incorruptos: quiſquis enim hoc negligit is ſui imperij fundamenta conuellit. Celebratur in primis a Tacito Germanorum integritas: ſed, vt idem inquit, iam & pecuniam accipere docuimus. atq. vtinam minus dociles fuiſſent ad hanc diſciplinam. Qui vero externorum regum largitionibus corrupti rempublicam produnt, ii mihi perinde facere videntur, ac ſi nauim perforent, in qua ipſi nauigant. & profecto magnum imminentis exitij ſignum, & quaſi praeſagium eſt, cum eiuſmodi ciues rempublicam adminiſtrant. vbi namq. ad ſe quiſque reipublicae partem rapit, eius compaginem, quae ex partibus conſtat, omnino diſſolui neceſſe eſt. Athenienſium reſpublica tamdiu floruit, quamdiu Miltiades, Solon, Themiſtocles, Ariſtides, Pericles, alijq. pecunijs inexpugnabiles viri ſuis eam conſilijs gubernarunt. vbi deguſtarunt aurum regium, quo Philippus omnia caſtella expugnari poſſe dicebat, atq. etiam Pythia Philippi partibus fauere cœpit: ſimul eorum gloria, & libertas concidit. Externis enim libentius, quam domeſticis exemplis vtimur. Nam quis ignorat, virtute a maioribus partum imperium poſtremo auaritia, ac largitionibus corruiſſe? di-

ctumque illud calliđiſſimi Numidarum regis, Vrbem venalem, & cito perituram, ſi emptorem inueniſſet, velut oraculum a poſteris habitum? Demoſthenes initio orationis, quam habuit ad populum Athenienſem de Megalopolitanorum poſtulatis, inuehitur in quoſdam oratores, qui, cum reipublicae conſulere deberent, alij Arcadum, alij Lacedaemoniorum partes ita ſuſpiciebant, & ſe mutuis conuicijs inſectabantur, quaſi illarum eſſent gentium legati, non ciues Athenienſes. itaque ſiquis, inquit, eorum notitiam non haberet, atque illis Atticae linguae ſonum adimeret, alios eorum Arcadas, alios Lacedaemonios eſſe putaret. Sed hoc in faece reipublicae popularis minus erat mirandũ; quando etiam in hoc ſupremo, atque auguſtiſſimo Chriſtianae reipublicae ſenatu non nulli interdum reperiuntur, qui vana ſpe vtilitatis, aut honoris illecti, non quid e republica ſit, ſed quid ille, cui ſe quiſque addixit, cupiat, id ſolum ſpectant, & quem nacti ſunt locum deſerunt, atque ab officio diſcedunt. Hoc & interdum accidit, & mea quidem ſententia tacendum non eſt. nã nec Iudae ſcelus in Euangelio reticetur: & tamen neque ille apoſtolorum, nec Saul prophetarum gloriã minuit. Igitur ſi quando eius modi ſenatores inueniuntur: ij ſibi met ipſis, non reipublicae, exitium machinantur. quippe haec ab immortali Deo inſtituta, quamquam eiuſdem permiſſu, vt vitia noſtra norimus, ijſque purgemur, interdum fluctibus agitur, tamen auctoris nutu, ac prouidentia gubernatur, atque ab interitu vindicatur: illi conatu plerumq. irrito ſcelus in ſe peſſimum admittunt. Quod ſi vtilitatum boni ratiocinatores eſſent, & vel paululum humanae prudentiae haberent, numquam ad honores via tam lubrica graſſarẽtur, nec Siſiphi ſaxum voluerent: ſed quam nacti ſunt Spartam, eam ſibi ornandam ducerent: iidemq. & hominibus, &

Deo placerẽt. nam incredibile dictũ eſt, quantam vim virtus habeat, quantam excitet admirationem ſui. Regnabat in ciuitate libera Pericles apud ſuos, apud noſtros Camillus. Erat ille, vt ante dictum eſt, a pecunijs inuictus: huius virtutem, inquit Liuius, eandem oderãt, & mirabantur. Sed quid ego vetera & obſoleta memoro? poſſem exemplis in vtramque partem recentibus vti, niſi adulatio pariter, atque inuidia diſpliceret. atq. haec de integritate dicta ſint. Sed ſunt nonnulli, qui & recta norunt, & ad ea, quae norunt, natura feruntur, iiſdem tamen enuntiandis abſtinent, non improbitate, aut auaritia, aut vllius prauae rei ſtudio: ſed infirmitate animi, & imbecillitate quadam libere loqui non audent, nihil contradicunt, nihil denegant, omnia aſſentiuntur, omnia omnibus annuunt. Hi minore odio digni videntur, cum & perfidia, & fraus abſit, & pecuniae, proprijq. cõmodi ſtudium. verum tamen cũ eos, quos cõſilio iuuare debent, deſerãt, in eodẽ iniuſtitiae genere verſantur. itaque ſi principi, aut potentioribus aduerſari non audent, timiditate peccant; ſin paribus, immodica verecundia, quae δυσωπία dicitur. In hos Terentianus ille adoleſcens aequali ſuo iratus inuehitur.

-- immo hoc genus hominum peſſimum eſt.
In denegando modo queis pudor eſt paululum.

vtrumq. vt dixi, fugiendum eſt: ſed perfidia odio digna maiore. Oportet igitur conſiliarium fortem eſſe, & conſtantem, magniq. animi, & elati, quatenus ea virtus ad alios pertinet. nam & fortitudo, dum aliorum commodum ſpectat, ad iuſtitiam refertur: cum, qui ea carent, nimio pluſquam decet populi inuidiam, aut offenſionem principum pertimeſcant, eoque reipublicae vtilia ac ſalutaria conſilia interdum promere vereantur. Multa Cleon apud Thucydidẽ, aliique, multa De-

me-

moſthenes diſſerit delibertate in ſententijs dicendis:
quae qui volet, ex eorũ fontibus hauriet. De ea vero,
quae dicitur vitioſa verecundia, extat Plutarchi libel-
lus luculentus in primis, ac varia eruditione refertus.
ea cum in omni vita, tum in conſilijs dandis omnino
vitanda eſt. Nec vero cum in ſententiis dicendis liber-
tatem laudo, modeſtiam damno, quod conſiliarii orna
mentum eſt vel praecipuum. Videas non nullos omni-
bus, vbique, de omnibus, ad conſilium dandum para-
tos, quaſi ſoli ſibi ſapere videantur. magnum hoc arro-
gantiae ſignum eſt, quae fere inſcitiae ſemper eſt co-
mes. faciunt hoc interdum, vt eorum, quibus conſu-
lunt, ſtudere commodis videantur: & quodam modo
beneuolentiam cauponantur: quod etiam impudentia
peius eſt, auaraeque ac ſubdolae naturae indicium.
Seruetur igitur in conſilio dando modeſtia, praeſertim
ſi, quibus cum agimus, anteeunt aetate, aut dignitate,
aut vſu rerum, aut ingenio, doctrinaq. ſuperiores ſunt.
nec ad conſilium dandum accedemus, niſi rogati, prae-
ter quam ſi ſalus, aut exiſtimatio principis, aut reipu-
blicae, aut amicorũ vtilitas, ac neceſſitas ſubigit. Sunt
etiam, qui liuore & inuidentia, aut etiam odio quodã
hominum, quae quod alienis malis gaudeant a Grae-
cis ἐπιχαιρεκακία, a noſtris maleuolentia nominatur,
quae alijs profutura viderint reticent, nec ſuo conſilio
quemquam iuuant. his vitijs, & quaſi maculis liber
animus, & purus conſiliarium decet. Nec deſunt qui
diſſimulatione perpetua vtentes, quam Graeci εἰρωνείαν
vocant, non numquam affectatione prudentiae, ſic om
nia ſua tegunt, aut extenuant, nihil vt difficilius ſit, quã
quid quaque de re ſentiant, ab illis elicere, & extorque
re. quo vitio conſiliarium carere oportet, ſincerumque
eſſe, ingenuum, ſimplicem, veritatis cultorem. Eſt item
conſilio vehementer aduerſa iracundia, ad quam pro-

cliuis animus haud facile verum prouidet. manſuetudo igitur valde neceſſaria eſt conſilium daturo. Nec minus eidem neceſſaria ſunt vigilantia, & taciturnitas. vigilantiam voco eam virtutem, quae in vſu ſomni moderato verſatur, vt & quiete neceſſaria valetudini ſeruiamus, & nimium otium, ac deſidiam vitemus. Haec temperantiae aut pars eſt, aut comes. nam ſi ſomnus in voluptatibus corporis numeratur, ideſt in iis, quae cum iucunditate explēt quae natura deſiderat, qui ſomno bene vtitur, temperans dici poteſt: ſiquidem temperantia corporis voluptatibus moderatur. Sin hoc non conceditur, illud negari non poteſt, e victu ſobrio, ac moderato, quod temperantiae munus eſt proprium, ſomni moderatum vſum, ac vigilantiam conſequi. Itaque hanc etiā ob cauſam puto temperantiam apud Graecos a conſeruanda prudentia nomen adeptam, quod qui ſobrie, ac temperanter viuunt, minime ſomnolenti ſunt, eoque ad prouidendum ſunt aptiſſimi. Ac non oportere conſiliarium virum totas dormire noctes, nemo eſt qui ignoret, modo liberis ſit parentibus oriundus, cum Homericum illud ab incunabulis audire potuerit.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα.

Vt autem in tenebris corporis oculi nihil cernunt: ſic ſomno mentis oculus impeditur, quominus munere ſuo fungatur: eſt enim ſomnus mentis ceſſatio quædam, & requies: nec ſomno ſopiti prudentes ab imprudentibus differunt niſi forte ſomniantium viſa meliora, ac tranquilliora ſunt prudentium, quam inſipientium. in hanc ſententiā multa ſcripta ſunt a Platone diuinitus legum libro vii. Somnus, inquit, multus, & corporibus, & animis, & rebus gerendis natura inutilis. nec quiſquam dormiēs vllius eſt pretij, nihilo magis, quam ſi non viueret. itaque vt quiſque viuere, & ſapere cupit maxime, quam diutiſſime vigilet, tantum

ſom-

ſomno temporis impertiens, quantum valetudini ſat eſt, quod non multum eſt ijs, qui ei bene a pueris aſſueuerunt. Ac magiſtratus noctu in vrbibus vigilantes, malis quidem & hoſtibus, & ciuibus formidoloſi, iuſtis autem & temperatis viris cari ſunt, ac venerabiles, vtiles deniq. & ſibi ipſis, & vniuerſae ciuitati. Ergo in conſilijs quaerendis vigilantia opus eſt: in cuſtodiendis atq. occultandis taciturnitate: quae conſiliorum eſt quaſi theſaurus. fruſtra enim quaeras, niſi inuenta, & cogitata ſilentio tuearis, ne ab inimicis praeripi, aut praeuerti poſſint. quod ſi, non minor eſt virtus quam quaerere, parta tueri, iure hanc Terentianus ſenex inter bonas artes, ac virtutes nominat, cum inquit.

Nihil iſtac opus eſt arte ad hanc rem, quā paro:
Sed ijs, quas ſemper in te intellexi ſitas,
Fide, & taciturnitate artes enim veteres virtutes appellabāt ἀπὸ τῆς ἀρετῆς paulū deflexo nomine ac deriuato. Nec vero ea virtus tā in prōptu eſt, quā videtur. Vtinā, aiunt plerique, tam facile loqui poſſem, quā tacere. plerique tamen difficilius tacent, quam loquuntur: & quamuis natura hominibus binas aures, binos oculos dederit, linguas autem ſingulas, vt plura videāt, plura audiant, quam loquantur: tamen maxima pars hominum eſt ad loquendum, quam ad tacēdum promptior: quoque magis nouum quippiam, aut arcanum norunt, eo libentius effutiunt, atque in aurem ſingulis, omnibus tamen dicunt, inani quadam gloria, vt incognita alijs noſſe videantur. nec e vulgo fere quiſquam eſt, cui non dici poſsit,

Quaſi non tu multo malis narrare hoc mihi,
Quam ego, qui percontor, ſcire.

Itaq. ſilentiū nō mulieri ſolū, vt Euripides cēſuit, verū etiā conſiliario, ac multo etiā maius ornamentū affert.

quid enim turpius cōſiliario futili, & rimarum pleno? hoc qui ſui quaeſtus,aut cōciliandae ſibi gratiae cauſa facit,perfidia peccat: qui vero linguae incōtinentia,is garrulus, ac fatuus appellatur. Hac linguae intemperantia Tantalum fabulantur e caelitum menſa eiectum decantatas illas apud inferos pœnas pendere, quod illorum arcana mortalibus reuelaſſet. quem merito Euripides turpiſſimum morbum vocat; eſt enim extremae cuiuſdam leuitatis, ne dicam amentiae,non leue argumentum, qua nihil turpius, praeſertim in eo, quem ſibi princeps conſiliorum ſocium,atque adminiſtrum aſſumpſerit.at vni tantum dixero,amico ſummo, atq. intimo. quid ſi & ille alij item amico dixerit,itemq. alius alij? num ab alijs poſtulas, quod tibi ipſe non praeſtas? an quemquam tibi te amiciorē putas? ergo quod alios ſilere vis, primus ſile. Notum eſt illud Metelli,qui cum in Hiſpania bellum gereret, interrogatus, quid poſtridie facturus eſſet, Tunicam (inquit) meam,ſi id eloqui poſſet, comburerem. Antigonus item filio ſciſcitanti, quo tempore caſtra moturus eſſet. An vereris(inquit) ne tubam non exaudias?&, quem regni heredem reliquit, arcani participem facere noluit. Quin ex philoſophis, quorum fere omnis in diſſerendo gloria, Zeno repertus eſt, qui ex taciturnitate laudem quaereret. Cum enim in conuiuio Athenis multa alij pulcra, & egregia loquerentur, ſeque doctis ſermonibus legatis regijs venditarent, ipſe ſolus ſemper tacuit: legatiſque rogantibus, quid regi de ſe dici vellet, Nihil, inquit, aliud, niſi ſenem eſſe Athenis,qui inter potandum ſilere poſſit. Sic aliorum in diſputando gloriae Zeno ſilentii laudem praetulit. Diſertus eſſe poſſem exemplis enumerandis eorum,qui & ſibi,& ſuis ciuitatibus,& regibus tacendi inſcitia exitium attulerunt,ni ea res longius nos a propoſito abduceret. Atque haec videntur

eius,

eius, quam in conſiliario requirimus, virtutis nomine contineri. Nunc quoniam demonſtratum eſt opus eſſe ad conſultandum virtute cum prudentia coniuncta: videamus (ſi altera ſine altera eſſe poſſit, atque alterutra carendum ſit) vtra ſit optabilior, abſq. prudentia virtus, an ſine virtute prudentia: de quibus multa in vtramq. partem diſputari ſolent. Ac primum, virtutem ſine prudentia obeſſe numquam, prodeſſe plurimum poſſe, ſatiſq. habere auctoritatis: prudentiam, ſi virtus abſit, & parum valere ad faciēdam fidem, ſine qua fruſtra conſilium datur: quo enim quis aſtutior, & callidior eſt, hoc inuiſior, ac ſuſpectior, detracta opinione probitatis: & innumerabilia damna, atq. incommoda hominibus, ac ciuitatibus attuliſſe contendunt. idq. & multorum exemplis, & doctorum hominum auctoritate, ac teſtimonio confirmant. Atq. (vt exemplis omiſſis ad philoſophorum teſtimonia veniamus) Ariſtotelis de republica libro primo verba ſunt. Homo, vt omnium animalium optimum eſt, ſi perfectum ſit, ſic a lege, ac iuſtitia ſeiunctum eſt omnium peſſimum: nam iniuſtitia armis inſtructa, res eſt in primis moleſta: homo vero armis a natura inſtruitur, prudentia, & quae ſequuntur. Idem Plato fere iiſdem verbis dixerat legum libro ſeptimo. Item earumdē libro tertio multis probare nititur, improbitatem, ſeu vitioſitatem dicere malumus, quam ille πονηρίαν vocat, ignorantiam eſſe omnium peſſimam: atque improbis ciuibus, quamuis diſciplinis omnibus, ac rationibus inſtructis, nullam reipublicae partem cōmittendam: probis autem, vt ſapientibus, adhaerēdum ac magiſtratus deferendos, etiam ſi, vt dici ſolet, neque nare, neque litteras didiciſſent. His, ac talibus adducuntur, qui exiſtimant virtutem in conſilijs prudentiae anteponendam. Contra ab alijs diſputatur, prudentiā eſſe rerum expetendarum, fugiendarumq. ſcientiam.

quiq.

quiq. ea valeat, hunc aptiſſimum eſſe ad conſilium capiendum, quod omne in expetendorum, fugiendorumq. delectu verſatur. Tum eam partem animi, quae de expetendis ac fugiendis deliberat, cuiuſque rectus habitus eſt prudentia, βουλευτικὴν, ideſt conſultricem, ſeu conſilijs aptam ab Ariſtotele dici, propterea quod in conſiliis dandis, aut capiendis occupatur: itaq. bene conſulere, proprium eſſe prudentiae munus. viros autem bonos, hebetes, imperitos rerum, ac rudes, nullo pacto ad conſulendum idoneos. Praeterea prudentem, quamuis improbum, poſſe amicis conſilio prodeſſe: at virum bonum, qui prudentia careat, neque iis, quos diligit, poſſe conſilio ſubuenire. Itaque virtutem ſine prudentia nullius eſſe in conſiliis momenti: prudentiam ſine virtute plurimum valere. Quae in vtramq. partem dicuntur, haec ferme ſunt. Quid igitur in re tam dubia ſtatuemus? Ac mihi quidem duo praecipue perſuadent, vt prudentiam conſilijs virtutę vtiliorem putem. Primum, quod (vt ante dictum eſt) appetitio eſt alicuius finis, conſultatio de ijs, quae ad finem conferunt. at appetitum virtus perficit (vt ſupra demonſtratum eſt) conſultandi vim prudentia, quam conſultādi artem dicere poſſumus; ergo vt in fine proponendo, vt optimum ſtatuas, virtute in primis opus eſt, non prudentia: ſic ad ea inuenienda quae conducunt ad finem, praecipuus vſus eſt prudentiae, non virtutis. Deinde, cum ad aliquid efficiendum duo requiruntur, ſi alterutro carendum ſit, praeoptare oportet, quod eſt rarius, quodq. in paucioribus reperitur. quoniam igitur bonos viros, vt vulgus accipit, plures, ac facilius inuenias, quam prudētes, & ad conſilium dandum idoneos: idcirco in conſilijs prudentia virtuti, probitatiq. eſt anteponenda. ita in medico deligendo peritum praeferimus eius artis ignaro, quamuis probo; &

bene-

beneuolo: & imperatorem deligimus rei militaris vſu ac ſcientia potius, quam iuſtitia praeſtantem: quod & in vtroq. peritia eſt ad finem conſequendum conducibilior, & probitatis quantum in medico, & imperatore ſat eſt, in pluribus, artis excellentia in paucioribus reperitur. contra, cum aerarij cuſtos quaeritur, qui virtute, ac fide, non qui prudentia praeſtet, eligitur: quod prudentia, quanta opus eſt ad aerarij cuſtodiam, multis ineſt, fides autem paucis. Sic Ariſtoteles libro quinto de Republica cum docuiſſet, oportere tria quaedam ineſſe ei, qui ſummum magiſtratũ geſturus eſſet: amorem in rempublicam: maximam vim, ac poteſtatem eius magiſtratus munium obeundorum: virtutem, ac iuſtitiam ad illud reipublicae genus accommodatam: huiuſmodi quaeſtionem ſubdit. Cum haec (inquit) non in eodem omnia reperiuntur, dubitari poteſt, quid eligendum ſit. veluti, ſi quis imperator ſit egregius, ſed nec vir bonus, nec reipublicae amicus, alter autẽ iuſtus ſit, & reipublicae amicus, ſed rei militaris rudis, vtrum potius eligere oportet? Ac docet inſpicere oportere, cuius rei magis omnes homines participes natura ſint, & cuius minus: itaq. in deligendo imperatore rei militaris vſum ſpectandum eſſe potius, quam probitatem: propterea quod rei militaris facultas in paucioribus, quã probitas reperitur. at in cuſtodia, inquit, atq. adminiſtratione aerarij ſecus eſt; propterea quod maiore probitate indiget, quam quantam vulgo homines habent: ſcientia vero communis eſt omnibus. Ex his Ariſtotelis verbis ſatis, vt arbitror, id quod diximus, confirmatur, in conſilijs prudentiam virtuti eſſe anteponendam. Quod autem ſuperius adduximus ex eiuſdem de republica libro primo, nihil huic ſententiae repugnat. ibi enim non de habitu prudẽtiae loquitur, ſed de vi quadam, ac mentis acie nobis a natura ingenita, quam di-

ximus a Græcis ἀγνόητα nominari. Platonis autem locus ex tertio libro de legibus ad idem confirmandum valet: dum enim improbitatem ait ignorantiam eſſe omnium peſſimam, more ſuo loquitur. quia enim vera virtus abſq. prudentia eſſe nequit, vnamquamq. virtutem prudentiam vocat, vitium autem imprudentiam, atq. inſcitiam. itaq. cum vetat improbis committi reipublicae magiſtratus, imprudentes intelligit, etiam ſi doctrinis ſint exquiſitiſſimis exculti, nempe mathematicis, aut ijs quae in rerum naturalium cognitione verſantur. Ac de his hactenus: nunc ad reliqua tranſeamus. Beneuolentia in eum, cui conſilium datur, adiuuari conſilium, ita manifeſtum eſt, vt res probatione non egerat. Etenim ſi conſilium eius vtilitatem reſpicit, cui conſilium datur: ei bene velimus neceſſe eſt, vt & bene conſulamus. Quam vero in conſilijs diligentiã adhibebimus, niſi eum, cui conſulimus, diligamus? Itaq. Ariſtoteles, vbi ciues inter ſe amicitia iuncti ſint, iuſtitia opus eſſe negat octauo libro de moribus. Tametſi libro V. de republica aliter ſenſiſſe videatur. Quaeri enim (inquit) poteſt, ſi cui rei gerẽdae facultas adeſt, & amor in rempublicam, quid ei virtute opus ſit, ſiquidem horum duorum ope, quaecumq. reipublicae expedient, tranſiget. An, quia fieri poteſt, vt, qui duo haec habent, incontinentes ſint? eoq. quemadmodum quae ſibi vtilia norunt, negligunt, quamuis ſe ipſos diligant, ſic & in rempublicam affecti eſſe poſſunt? Sed alia exiſtit quaeſtio ſubdifficilis, quo pacto amor in eum, cui conſulimus, conſilium iuuet: quando nihil tritius eſt, quã oportere homines, qui de rebus dubijs conſultãt, ab amore, odio, ira, atq. miſericordia vacuos eſſe: cum haud facile animus verum prouideat, vbi illa officiunt. Et Ariſtoteles initio rhetoricorum ſcribit, amore, & odio iudicium impediri: eamq. ob cauſam melius eſſe,

plera-

pleraq. omnia legibus definiri, & quam pauciſſima iudicum arbitrio relinqui: quod ij, qui leges condunt, de futuris, iudices autem de preſentibus iudicant: quorum amor, atque odium plerumque officit iudicio. Quod & Cicero pro Marcello ad Caeſarem verba faciens intellexit; cum inquit. Serui igitur ijs etiam iudicibus, qui multis poſt ſeculis de te iudicabunt, & quidem haud ſcio an incorruptius, quam nos: nam & ſine amore, & ſine cupiditate, & rurſus ſine odio, & ſine inuidia iudicabunt. Idemque Ariſtoteles multo etiã apertius oſtendit rhetoricorum libro ſecundo. Neque enim, inquit, eadem videntur ijs, qui diligunt, & qui oderunt. neque ijs, qui irato, aut placato ſunt animo: Sed aut omnino, aut certe magnitudine diuerſa. Eademq. de cauſa melius obſtetrices de fetu iudicare Socrates aiebat, quam parentes, propterea quod immane dictu eſt, quantum amor officiat iudicio. aliaque dici poſſunt in hanc ſententiam multa. Nec dubium eſt, quin amor, ſi τὸ πάθος intelligas, & omnis animi perturbatio iudicium corrumpat, atque in alteram partem impellat. Sed beneuolentia, quae a perturbatione ſeiuncta ſit, & amicitia, quae aut virtus eſt, aut virtuti proxima, ingeniũ acuit, non hebetat; noſque ad conſulendum ei, quem diligimus, diligentiores, ac vigilantiores facit. Praeterea qui beneuolentiam in conſiliario requirunt, illam intelligunt cum prudentia, ac virtute coniunctam, vt ſupra demonſtratum eſt. atque haec ſine dubio in cõſiliis vim habet maximam. Talem ſe Cicero Lentulo pollicebatur, cũ ſcripſit. Et tu me cõſiliario fortaſſe nõ imperitiſſimo, fideli quidem, & beneuolo certe vſus eſſes. Eſt autem ad res gerendas mirificum telum, duorum prudentium amicorum communicata ratio, & conſultatio. vt merito in prouerbium abierit Hemericum illud σύν τε δύ' ἐρχομένω. Sed in re tam perſpicua ſuperfluum eſt diu-

 tius

tius immorari. Quod ſiquis & illud quaerat, quae dicendi ratio maxime conſiliarium deceat: is cogitare debet, id quod Antonius apud Ciceronem diſputat, ſuadere aliquid aut diſſuadere, prudẽtis in primis, & grauis eſſe perſonae. Nã & ſapientis eſt, conſiliũ explicare ſuum de maximis rebus: & honeſti & diſerti, vt mente prouidere, auctoritate probare, oratione perſuadere poſſit. Atque haec in ſenatu minore apparatu agẽda ſunt: ſapiens enim eſt conſilium, multiſque alijs dicendi relinquendus locus. vitanda etiam ingenij, oſtentationiſque ſupitio, praeſertim ei, qui principis iuſſu ſententiã de re graui, & ſeria ſuam depromit. itaque pigmentis iuuenilibus abſtinebit, nec orationis floſculos conſectabitur: & rurſus cauebit, ne, quod in Demoſthene Demades notauit, ipſius oratio lucernam olere videatur. non ambitus ad circinum rotundabit, non membris paribus aut ſimiliter cadentibus, aut deſinentibus ludet, nõ uerbis tumidis, aut dithyrãbicis ampullabitur. ſed virilem cultum & ſimplicem adamabit. cumque triplex a dicẽdi magiſtris grauitas in vſu eſſe dicatur: vna quae videatur eſſe, nec ſit, qualis eſt eorum qui ſophiſtae nominantur: qui plerumque magno conatu, magnoque verborum ſtrepitu ac ſono magnas nugas agunt. altera quae ſit, nec tamen videatur, qualia ſunt Xenophontis ac Caeſaris monumenta pleraque omnia, res grauiſſimas proprijs aptiſque verbis explicantium, ſententiaſque abditas & ex intima philoſophia petitas modo quodam communi ac facili proferentium, vt quiuis e vulgo ſperet idem, ſudet multum, fruſtraque laboret auſus idem. tertia, quae & ſit, & videatur: cuius exemplum afferunt Philippicas aliaſque non paucas Demoſthenis orationes, contioneſque aliquot Thucydidis: ex hac triplici ratione ſophiſtarum illud inſolens atque inane dicendi genus omnino vitandum, vt a conſilijs toto, vt dicitur,

citur, celo remotum. at illa Xenophontea ratio, quam mirifice Caeſar ſuis ſcriptis expreſſit, quae in rerum & ſententiarum pondere magis, quam in verborum artificio verſatur, conſilijs explicandis maxime idonea mihi quidem videtur: praeſertim ſi in ſenatu aut ad principem verba facias. Quae vero grauitas & eſt, & videtur, ea in contionibus regnat. cupit enim cōtio vim omnem orationis, & grauitatem, varietatemque deſiderat. Sed haec dicendi magiſtris relinquamus: ac de eius, cui conſulitur, officio pauca dicamus. Quibus conſiliū datur, ij plerumque peccant, quod eis aut iudicium deeſt, aut animus, aut voluntas: voluntas in conſiliis auſcultandis, iudicium in conſultoribus deligendis, deque iis quae conſuluerint iudicandis, animus in eiſdem fortiter exſequendis. Haec tria maxime neceſſaria ſunt ei, qui rempublicam adminiſtrat. Etenim qui ſuo conſilio freti aliorum conſilia dedignantur ac negligunt, in magno mihi videntur errore verſari. nam quis eſt tam lynceus, vt videre vnus omnia poſſit? aut etiam ſi inſigni ſollertia ac perſpicacia ſit, non aliorum admonitionibus adiuuetur? Id tamen pleriſque accidit aut imperitia rerum atque inſcitia, aut confidentia quadam, quae imperitiae plerumque eſt comes, aut diffidentia, qualis eſſe ſuſpitioſorum hominum ſolet, & velut in tenebris omnia formidantium, aut denique indole egregia, ſed nondum maturitatem & prudentiam adepta. Atque vtinam rariora cuiuſque generis exempla ſuppeterent. Vidimus interdum iuuenes, imperitos rerum, gubernacula reipublicae tractantes, prout quiſque prudentia praeſtabat, eius conſilia refugere & aſpernari, improbis autem & fœdis hominibus aures patefacere. ſic & ſuam, & publicam auctoritatem in ſummū diſcrimen adducere: poſtremo ipſos omnia expaueſcere, atq. omnibus ludibrio eſſe. Alios cernimus naturae

confidētia multum ſibi de ſuo iudicio polliceri, eoque quod optimum duxerint, inconſultis omnibus, decernere & ſequi. his ferme quod caecis accidit robuſto corpore praeditis: nam quo maiore impetu feruntur, eo vehementius impingunt, & grauiores offenſiones faciũt: voluntas enim, quae ad bonum fertur, confidentiores & quaſi robuſtiores efficit: imprudentia vero caecitati ſimilis. Eſt huic diuerſum genus omnia ſuſpectantium: qui tantum ingenio procedunt, quantum ad ſuſpicandum ſat eſt. nec fere alij facilius decipiuntur, quam qui id ſemper cauent, ne decipiantur. Neque enim ſollertibus & callidis hoc contingit. ſed vt iumenta, quae hebetiore viſu ſunt, ſuſpenſiore gradu, ac timidius incedunt, ſic ingenijs obtuſa acie plerumque vanae ſuſpitiones incidunt: cumque ſibi placent maxime, ſibiq. aſtutiores & cautiores videntur, tum facillime in fraudem illiciuntur. Sed & ipſi adoleſcentes nouimus clariſſimum virum, atq. imperatorem egregium, litterarum, & belli gloria florentem, ad quem, cum Italia bello arderet, ſaepiſſime de rebus arduis miſſi ſumus, ceteris quidem & artis & naturae bonis mirifice inſtructum, hac vna tamen in re minus laudatum, quod aliorum conſilia fere omnium, praeter quam vnius fratris auerſabatur. hic interdum cum familiari ſuo iocans dicere ſolebat, ſibi prae ſe alios homines vmbras videri, Magnum virum, ſi & alios, viros exiſtimaſſet. Igitur aut imperitia rerum, aut naturae confidentia ac temeritate, aut diffidentia quadam ac peruerſitate animi, aut ingenio nimis elato, alijſq. huius modi cauſis conſilia reſpuuntur. Nemo vero ſibi perſuadere debet, ita ſe praeſtare ceteris, quin plus pollere cenſeat multorum ingenia conſiliaque. hinc maiores legem trinundino promulgabant. hinc tanta ſapientiorum principum in explorandis aliorum ſententiis diligentia, vt alij noctu

muta-

mutata veſte in tabernis ac diuerſoriis vulgi de ſe ſermonibus interfuerint, alij quae facere cogitabant longe ante vulgauerint, vt quo pacto vulgo acciperentur intelligerent. Itaque ſapientiſſimus quiſque conſultoribus maxime delectatur. contra ad pauca reſpicientes facile ſententiam ferunt. Quod ſi ratione diſtinguimur a ceteris animantibus, quid homine dignius, quam multorum rationes in vnum conferre, vt ex collatione omnium quid optimum ſit ſecernere valeamus? Sed optimum eligere, ac de conſultorum fide, deq. iis quae a conſultoribus afferuntur, iudicare, haud extremum eſt prudentiae munus. non pauci enim, dum ſe aliis conſulere profitentur, ſibi ipſis conſulunt. Itaque videre oportet, an is, qui conſilium dat, aliqua ſua vtilitate ducatur ad aliquid conſulendum. Sed & illud cauendum eſt, ne ipſi libertatem conſulentium impediamus, dum libere monentibus iraſcimur, & quae placent, quam quae proſunt, libentius audimus, nec tam amicos, quã adulatores quaerimus. Quibus autem notis amicus ab adulatore dignoſcatur, extat Plutarchi libellus, omnino dignus qui regum ac principum virorum manibus teratur. Tum quales adſciſcendi conſiliarij ſint, ſatis ex iis, quae ſuperius diximus, demonſtratum eſt. Eiuſmodi viros prudentia ac fide praeſtantes, ſapientiſſimus quiſque princeps vndique ſibi conciliabit, ſuaq. liberalitate deuinciet. nam & in rebus dubiis praeſidio ſunt, & in ſecundis ornamento, nec fere aliud prudentiae maius indicium, quam prudentum ſermonibus & cõſuetudine delectari. Horum collatis rationibus haud omnino difficile fuerit, quid in quaq. re optimum atq. vtiliſſimum ſit, videre. Atq. huc ea referri poſſunt omnia, quibus antea profici diximus ad prudentiam comparandam. eiuſdem enim prudentiae eſt bene conſulere aliis, & ex iis, quae conſuluntur, quid optimum ſit,

iudica-

iudicare, atq. eligere: niſi quod qui eligit, fit velut ex aduocato iudex. Sed & conſulendi ſtudium, & iudicii inutile fuerit, niſi animus adſit paratus ad ea, quæ quis bene ſapienterque cogitauerit, fortiter exſequenda. nam conſultationum omnium finis eſt actio, vt ante dictum eſt. Igitur & prius quam incipias, conſulto, & vbi conſuleris, mature facto opus eſt. agere enim, quam conſulere, ordine poſterius, re prius eſt, ac potius: atq. hoc virtutis eſt munus, illud prudentiae. Non raro autem bene conſulta ſucceſſu carent eorum culpa qui ea ſegnius ac timidius exſequuntur. propterea quod, vt ait Thucydides, nemo tali virtute rē exſequitur, quali fiducia deliberat: ſed ſecure de futuris ſentimus, cum timore in actione deficimus. Sic & male conſulta, aduerſariis inconſultius agentibus, interdum proſpere eueniunt: fallacique ferocia inflant inſipientium animos, plerumque de rebus ex euentu iudicantium. At fortis animus & ſapiens ratione, non caſu, cuncta metitur: cumq. ante prouiderit, quaecumque conſilio prouideri poſſunt, ſemper erectus eſt ac praeſens, nec in actione deficit, aut titubat, ſed ita ſe comparat, vt nullis vmquam ſinat fortunae territamentis, aut quamuis ſubitis rerum caſibus de gradu deiici, aut a propoſito auerti. Haec ſunt, Octaui Principum decus, quae tibi de conſilio, ſi id quod ſentio dicendum eſt, ad tuae prudentiae potiſſimum exemplar elaborauimus: quam etiā ſi mente ac ſtilo aſſequi non potui, modo eam aliqua ex parte adumbrauerim, nō vulgarem me laudem conſecutum exiſtimabo.

FINIS.

PETRI. MAGNI ORATIO

PRO. OCTAVIO. FARNESIO PARMÆ. AC. PLACENTIÆ DVCE

AD. GREGORIVM. XIII. PONT. MAX.

MVLTA, Pater ſanctiſſime atq. optime, Octauium Farneſium Parmae ac Placentiae Ducem impulerunt, vt, quam e ſummo inter mortales honore diuinitus tibi delato laetitiam ceperat, eam praeſens primo quoque tempore declaret. primum, vt qualem ſenatus vniuerſus in te eligendo conſenſum praeſtitiſſet, talem & ipſe alacritatem prompto ad te itinere prae ſe ferret. deinde, vt quam auribus voluptatem hauſerat, ea praeſens oculorum ſenſu omnium certiſſimo frueretur. poſtremo, vt ſuo ipſe nomine debitum tibi atque huic ſanctae ſedi obſequium & obediētiam exhiberet. Ac mihi quidem, quod alioquin in primis arduum fuiſſet, procliue ac facile noſtri Ducis praeſentia redditur. Nam ſi abeſſet, meae partes fuiſſent, quale eius in hanc

ſedem ſtudium, quanta & quam vetus in te obſeruantia, quam illuſtre ipſius eſſet in communi omnium laetitia gaudium, demonſtrare. quae ſingula cogitando conſequi, ne dum exaequare dicendo, nec mea, nec vllius vmquam eloquentia valuiſſet. Nunc, vbi res ipſa oculis cernitur, quid verbis opus eſt? potius quicquid dixero, quod ita dici conſueuerit, quam quod a me dici neceſſe fuerit, dictum exiſtimato. Quod ſi fuit tempus vllum, cum homines tanti creatione Principis laetarentur, profecto, Pater beatiſſime, quo die Pontifex maximus renuntiatus es, tanta fuit omnium aetatum, atque ordinum laetitia, tam inſigne totius ciuitatis gaudium, vt ad tam optatum nuntium Diuino quodam quaſi furore correpti, tota vrbe ſummi, medij, infimi vagarentur: nemo ſe domus ſuae limitibus contineret: gratulari omnes notis atque ignotis feſtinarent: cuncti Principem, parentem, Dei vicarium, diuinitus datum, Deo ſimillimum, faterentur, agnoſcerent, praedicarent. nemo vmquam cuiquam tam vnus placuit vni, quam tu ſolus vniuerſis. At quanta aliorum erat Patrum dignitas, quae amplitudo, qui ſplendor, quanta in omni virtutum genere praeſtantia. Seniores qua doctrina, quo rerum vſu, qua ſanctitate morum, qua grauitate. iuniores qua modeſtia, qua vitae integritate, quo exemplo. auſim affirmare, ſacroſanctum hoc Collegium, atque auguſtiſſimum Chriſtianae reipublicae conciliũ, numquam tot viris, tam praeclaris, tam praeſtantibus abundaſſe. tamen cum primum tui mentio iniecta eſt, omnes in te vnum votis omnibus atque acclamationibus conſenſerunt: te vnum omnes ſede iſta caelo proxima digniſſimum iudicarunt. quid dico iudicarunt? de tua dignitate ſinguli magis quam de propria laborarũt. omitto occultas illas tabellas veriſſimas animorum iudices, quae nulli vmquam apertius ſuffragatae ſunt. totius

ſacro-

ſacroſancti Collegij vna vox, idem ſonus, vel, vt verius loquar, idem, qui omnium regebat animos, Dei ſpiritus te Pontificem maximum renuntiauit. Hoc ſiue amore conſecutus es Pater beatiſſime, quid optabilius, quam à talibus viris amari? ſiue dignitate, quid praeclarius, quam à digniſſimis digniſsimum iudicari? ſin (vt vere ſentio) vtroque, quid praeſtantius? quid admirabilius? quae cum iſta tua felicitate cuiuſquam eſt felicitas comparanda? quis verius vſurpet beatiſsimi cognomẽ? Verum ſi quis veras eius rei cauſſas inueſtiget, atque inquirat, non eſt quod diu laboret. efferunt illae ſe, atque vltro in lucem prodeunt. ſiquis eorum vitas conſideret, quos Deus ſummi Apoſtolatus honore dignatus eſt, fere omnes inueniet excellenti aliquo bono ſubleuatos ſummum in Eccleſia locum tenuiſſe. alios doctrina, alios ſanctitas commendauit. hunc rerum vſus, illum probitas ad tantum culmen euexit. pauci (vt humana fert fragilitas) omnes virtutum numeros abſoluerũt. itaque mirandum non fuit, ſi in pleriſque aliis Pontificibus eligendis, ſententijs variatum eſt, donec matura deliberatione, praecipue vero ſancti ſpiritus afflatu, intellectum eſt, quis eſſet potiſsimum eligendus. Tua vero in omni genere ſpectata virtus nullum deliberationibus reliquit locum: omnem continuo dubitationem ſuſtulit. neque enim ex obſcuris latebris eruta, inculcanda erat hominibus noſtris. non docendi erant homines, quibus doctrinae, quibus experientiae ſubſidiis fultus, tantam poſſes prouinciam ſuſtinere. norant omnes, quam probis parentibus, quam illuſtri patria ortus, doctrinarum omnium ac praeclararum artium domicilio, quibus ſcientijs inſtructus in vrbem veneris. tuam innocentium perpetuo vitae tenore probatam & cognitam habebamus. labores tui triginta quinque annorum ſpatio, pro publica huius vrbis, ac ſedis Apoſto

licae vtilitate ſuſcepti, atque exantlati ante omnium oculos verſabantur; mitto ſollertiam in imperiis, in iudiciis aequitatem, in rebus omnibus dexteritatem; quibus rebus & in prouincijs, & in hac luce hominum, in omni fortuna tãtam tibi gloriam comparaſti, vt quodcumque munus obires, in eo ita te gereres, vt maiore ſemper dignus viderere. quid de humanitate dicam; quae in homine vel praecipua virtus eſt? quid de grauitate, deque illa tua in omni genere conſtantia? quae virtutes ita in te mutuo nexae & iugatae ſunt, vt nihil ſeueritati hilaritas, nihil grauitati ſimplicitas, nihil maieſtati humanitas detrahat. hae quamquam ſunt admirabiles, vt profecto ſunt; tamen alijs virtutibus maioribus obruuntur, quales decent Principum Principem, atque Epiſcoporum Epiſcopum. quis enim tecum aut prudentia, aut animi magnitudine, aut praeclara illa & abſoluta regnorum atque vrbium rectrice ſapientia conferendus? Video, apud quos dicam, nec deeſt quod dicam: ſed reprimam me, nõ tam quid debeam cogitãs, quam quid tua modeſtia patiatur. Haec tua tam diuina bona quiſquis nouit (quis autem non nouit?) is mirabitur, te pridie conclaue ingreſſum, poſtridie pontificem egreſſum? Quae laetitia ſi omnes Chriſtiani orbis Principes attingit; ſi omnes exteras ac longinquas nationes ac gentes exhilarauit, quo gaudio perfuſum credimus Octauium Farneſium Ducem, qui in hac vrbe natus, cum primum adoleſcere coepit, quaſi ad mercatum bonarum artium Bononiam miſſus, ibi ſuam adoleſcentiam in litteris, aliiſque egregiis artibus exercuit; eamque Vrbem, poſt hanc ſuam veram ac germanam patriam, proxime caram habet: quamque tibi fortuna patriam dedit, eam ſibi ipſe conſulto delegit. ſcimus autem quam vehementes eſſe ſoleant amores illi, quicumque primum iuuenilem animum occuparint,

Cum

Cum eam vrbem dico, non tam vicos, & parietes, & porticus, & alia eius vrbis aedificia intelligo, quam egregios ciues qui illam incolunt, quique ſuis virtutibus patriam illuſtrarunt, atque immortale decus vrbi optimorum ingeniorum feraciſſimae pepererunt. Iam tum igitur Octauius Dux, quamquam admodum adoleſcens, vt erat indole egregia, acrique ingenio, & ad adorandos homines ſagaci, virtutem tuam continuo admirari, deque tua excellenti doctrina & integritate ea animo concipere, quae hodie magno ſuo bono Chriſtianus orbis experitur. Deinde vbi illinc maiorum rerum cura ac mole auocatus, alio ſe cōtulit, ſcis Pater beatiſsime, qualis ſemper eius atq; optimorum fratrum in te fuerit fides, & obſeruantia: quantopere in rebus ſuis dubiis tuum conſilium atque auxilium implorarint: quam libenti animo te ſuarum rerū arbitrum, ac diſceptatorem expetiuerint ſemper: quo nomine ſe tibi deuinctos ſentiunt perpetua non vnius aut alterius, ſed plurimorum memoria beneficiorum. Quare cui ſe noſter Dux tantum debere intelligit, quātum ne cogitatione quidem aſſequi quiſquam poſſit, cum ſuo incredibili gaudio ſanctae Dei Eccleſiæ praefectum videt: cuius Eccleſiae & olim atauos, aliosque ſuae gentis proceres tot ante ſeculis habuit ſtudioſos, & ipſe Gonfalonerij munere fungitur, quod quidem munus in magno apud omnes honore ſemper eſt habitum: & praeterea vrbes ab ea poſſidet egregias, vt nihil plane ſit, quod non huic ſanctæ ſedi ſe debere fateatur. Itaque ad optatiſſimum illum nuntium laetitia quantam animo maximam capere potuit, repletus eſt, nec quicquā ſibi prius, aut potius duxit, quam vt praeſens quamprimum hoc tanto gaudio frueretur: tuiſque ſanctiſſimis pedibus aduolutus, te in iſto rerum humanarum faſtigio collocatum adoraret: teque verū Dei

Vica-

Vicarium, ſuumque patronum ac principem agnoſceret, ac veneraretur. Igitur Beatiſsime Pater, Octauius Farneſius Dux Parmam, Placentiam, ſe ſuaque omnia in tuum patrocinium & clientelam tradit; teque ſuum ſuorumq. omnium principem agnoſcit; tibique & huic ſanctae ſedi debitum obſequiū, atq. obedientiam praeſtat, ac defert; ſeque in te & in hanc ſanctam ſedem ſtudio & obedientia nulli vmquam hominum conceſſurum, ſancte pieq. pollicetur.

FINIS.

Habita Romae ad ſancti Marci ipſo Duce aſlante, atq. obedientiam exhibente XV. Kal. Sextileis MDLXXII.

PETRI MAGNI ORATIO

PRO OCTAVIO FARNESIO PARMAE AC PLACENTIAE DVCE

AD SIXTVM V. PONT. MAX.

SI per aetatem & valetudinem licuiſſet Octauio Farneſio, Parmae ac Placentiae Duci hoc tempore ad vrbem venire: nihil ei potius fuiſſet, quam vt praeſens hoc munere fungeretur, teque in iſto rerum faſtigio poſitum adoraret. Sed quando ad aetatis, & multo maiora valetudinis incommoda etiam durius anni tempus acceſſit: & Alexander filius bello difficillimo tot iam annos in Belgica diſtinetur: hunc ſibi cariſſimum iuuenem Ranutium Farneſium nepotē ſuum Alexandro genitū huic muneri deſtinauit. Nam quem, vt aliarum rerum, ita ſuae in te obſeruantiae ſibi heredem expetit, eum tuo cultui primo quoque tempore aſſuefaciendum putauit. Atque heic hodie beatiſſime Pater in his tectis, & in hoc ſanctiſſimo domicilio iuuenem tanta indole, tot Farneſiae gentis procerum, tot Luſitanorum regum, tot Auſtriacorum principum decora referentem tuis pedibus aduolutum vides: heic imperatorum, quos noſtra vidit aetas, omnium maximi & inui-

& inuictiſsimi, tot campeſtribus proelijs, tot expugnationibus vrbium, tot memorandis victorijs clari, non effictam, ſed viuam ac ſpirantem imaginem intueris. Quod ſi ſtatuas ex aere aut marmore clarorũ virorum admiratione quadam inexplebili cõtemplamur: quanta cum voluptate ac veneratione intuebimur hoc viuũ exemplar tanti ducis? qui prolapſam armorum diſciplinam reſtituit: qui Romanae militiae decus renouauit: qui veram & catholicam religionem a Belgis exulantẽ reuocauit, atque etiam latius propagauit: qui, qua aetate maioribus nondum adipiſci conſulatum per leges licebat, ea Romanos externoſque duces belli gloria ſuperauit: qui denique ea geſsit, vt quae a Caeſare in illis regionibus facta legimus, alioqui incredibilia idcirco credamus, quod ab hoc maiora fieri vidimus. Nam quid attinet referre, quae potentiſsimi, vereque catholici regis imperio facinora ediderit? quoties ingentes hoſtium copias parua manu fuderit? quoties barbarorum exercitus exiguis copijs improuiſo adortus profligarit? quoties fluctuantem & iam inclinatam ſuorum aciem animi cõſtantia reſtituerit? quoties ſuos milites pedem referentes impulerit, ac vincere coegerit? quot vrbes, quam egregie natura & arte munitas, obſtinatis inſuper ad defendendum hoſtibus, expugnarit? O admirandam temporum felicitatem. O beatam te Pontificem Italiam, ſub cuius imperio tanta virtus excellit. Sed quid ego tantam laudum magnitudinem ingenij culpa detero? quid tam breui oratione, tam anguſtis finibus immenſam viri gloriam circumſcribo? Illius beatiſsime pater hoc nobiliſsimum germen, hoc obſeruantiae ſuae pignus ad te miſit Octauius, optimus tuique ſtudioſiſsimus princeps. Nihil eſt enim, quod non ſe tibi, atque huic ſanctae ſedi debere fateatur. Primum hanc ſuam veram ac germanam patriam agnoſcit. ab

hac

hac ille, ab hac maiores eius originem traxerunt. in hac geniti, in hac educati, in hac honores maximos cõſecuti Farneſium nomen in omnes terras propagarunt. Deinde te & vt Romanum pontificem, ſuumque ac rerum ſuarum patronum veneratur, & vt pontificem ſine vllo dubio diuinitus creatum. Neq; enim humanis auxilijs ſubleuatus ſummum in Eccleſia locum obtines. non te aliena virtus extulit. non te fumoſae maiorum imagines commendarunt. non te factioſorum hominum concurſatio quiduis potius quam bonum publicũ cogitantium Pontificem declarauit. non heic gymnaſij cuiuſpiam rector eligitur. longe alia ratio eſt. Tuae te virtutis exiſtimatio, tuae te vitae continentia, ac ſeuera illa diſciplina, cui a puero aſſueueras, ad iſtud culmen euexit. Deus, deus inquam ille opifex rerum, tam certus ac praeſens, quam caelum ac ſidera inſedit, te ſibi in terris vicarium delegit. Cui tu quantum debeas, ipſe noſti: Octauius & plurimũ ſe atque omnes bonos debere intelligit, & plane ſic exiſtimat: hanc rem publicam, hanc caeleſtis Hieroſolymae imaginem tibi a Deo creditam; per beatam, ac florentem, te principe, futuram: nec terrenum, aut humile quidquam expectandum ab eo, quem Deus elegerit, quem ſui ſpiritus afflatu in iſto ſolio collocarit. Et cum omne imperium, quibus ab initio conſtitutum eſt, ijſdem artibus & ſeruetur & augeatur: ſperat optimus dux, reique publicae amantiſſimus, duas te imperante virtutes praecipuo in honore cultuque apud omnes fore, pietatem in Deum, in homines caritatem: quibus & hoc partum atque auctum imperium eſt, & Chriſti omnis doctrina, ac bene viuendi ratio continetur. Is eſt enim iugis ac perennis Eccleſiae theſaurus: quem neque aerugo, neque tineae vitiant: quem qui poſſidet, is & alia poſſidentibus imperat. Nam qui his virtutibus praeſtat, hunc reges admi-

rantur, hunc Deo cariſſimum iudicant, hunc ſuſpiciũt, vt ſupra ſe poſitum, & humana omnia contemnentem, hunc adorant, huius ad pedes procidunt. hinc illa pedum oſcultatio, hinc alia reuerentiae ſigna manarunt. hae duae virtutes huic ſanctae ſedi terrena omnia imperia ſubiecerunt. Quippe hanc remp. non Lycurgus, aut Solon, non aliquis humanae ſapientiae artifex, ſed Chriſtus inſtituit. Itaque in alijs humanam originem, in hac Deum auctorem poſſis agnoſcere. Illae opibus, ac militari potentia nituntur: huius religio ac pietas eſt praecipuum fundamentum. His duabus virtutibus, in Deum pietate, caritate in homines, & iacta huius imperij fundamenta ſunt, & ad ſummum perductum iri te Pontifice omnes principes augurantur. Nihil eſt autem tam ſublime, tam arduum, quod non virtuti tuae pronum ac proclive ſit. Alios aſpera ac difficilia ab incepto deterrent; te nihil aeque ad conandum ac rei difficultas hortatur. Quanta nuper in agris, atque etiam in vrbe ſcelerum impunitas? quam omnia ſicarijs ac facinoroſis hominibus infeſta? quanto in periculo ſalus bonorum omniũ verſabatur? quis putaſſet, vmquam tantam licentiam poſſe fraenari? aut vllum finem inueniri furtorum, caedium, rapinarum? At nunc quanta vbique quies? quanta ſecuritas? quanta in ipſo ſtatim ingreſſu tui pontificatus rerum commutatio? Omnes nefariorum impetus ac tumultus nutu ſedaſti: tela illorũ omnia diſflaſti ſpiritu. Quibus arcẽdis antea tot armatorum millia, tot equites, tot pedites nullo profectu, tot ſatellites alebantur: eos tu nulla impenſa, nullo detrimento aerarij, ſola iudiciorum ac legum ſeueritate, perditorum quorundam hominum ſupplicio diſsipaſti. Hoc ſiue felicitate quadam, ſiue ſapientia conſecutus es, dubium non eſt, quin huius rei voluntas egregiuſque conatus in aliis, in te vero etiam ſucceſſus & facta lau-

laudentur. Nec me quiſquam exiſtimet haec eo dicere, vt alios damnem. longe hanc a me opinionem eſſe amo tam volo. ſunt & illi ſuis laudibus clari, atque etiam a nobis ſuo loco laudati: ſed profecto hoc depulſae tam calamitoſae peſtis decus ſilentio praetereundum non fuit. Quod ſi haec priuata arma tanta diligentia repreſſiſti: quanto diligentius exiſtimabimus te, vt communi omnium parente dignum eſt, concordiam principum, tranquillitatem Italiae, pacem vniuerſae Chriſtianae reipublicae curaturum? Haec te digna prouincia eſt. nihil humile, aut exiguum iſtam ſapientiam decet. immo nihil mediocre a tantis initijs expectatur. Scis enim, cuius ſis vicarius. Scis illum tibi omne genus humanum ſuo ſanguine redemptum illum omnes a ſe conditos tuae fidei commendaſſe. tuam curam omnes orbis terrae partes amplecti. ſcis magnae curae magnam eſſe mercedem. Itaque omnes in ſpem certam venimus, te prouiſurum; vt & ceteri principes indiſſolubili caritatis vinculo, concordique amicitia iungantur: & ipſe quam optimis praeſis, id eſt, vt eos, quibus praees, quam optimos reddas: non tam quia peſſimus quiſque aſperrime rectorem patitur: quã quod popularium virtus regentis eſt gloria. Cumq. hoc duabus rebus, poena inquam, & praemio conſequi poſſis: vtrumque a te cumulate fieri videmus: cum & malos ſtatueris metu ſupplicii coercendos, & bonos praemiis excitandos. nam gratuito plerique ne vitium quidem ſequuntur: ne dum virtutem natura laborioſam atque arduam ſublatis praemiis amplectantur. Quis autem tanta praemiorum facultate & copia pollet? quis tam multis honoribus ac bonis eccleſiaſticis abundat, quam publicus parens, ac totius Eccleſiae paſtor & princeps? quis ſecundum Deum tanta poteſt in homines beneficia conferre? quis eos tantis opibus augere?

His tu pro cuiuſque merito deferendis potes ex omni- bus terris viros tibi lectiſsimos, tuique ſimillimos adiũgere. Quis hoc efficiat aliorum principum, quorum imperium certis finibus continetur? O te vere beatum, qui benefaciendi facultate tam proxime ad Deum accedis. Quid enim beatius, quam & priuata officia priuatis praemiis poſſe proſequi, & merita in rempublicam publicis honoribus atque opibus compenſare? Hoc tibi maxime Deus dedit. a quo te magno mortalium bono rectorem terris datum credimus. Itaque omnes in te vnum principes intuentur. cuncti actiones tuas obſeruant. omnes a te ſibi, ſuiſque ciuibus ac populis bona omnia pollicentur. Eorum in te colendo atque obſeruando nemini concedit Octauius. Etenim ita à teneris annis aſſueuit, ita a maioribus didicit, ita ſuos inſtituit, vt & ipſe, & liberi ac nepotes eius nihil ſibi potius aut antiquius, nihil honorificentius ducant, quam ſi Eccleſiae honori & commodis inſeruiant. in huius cultu & obſeruantia ſpes ſuas omnes, omnia praeſidia collocarunt. huius amplitudinem ſuum decus, ſuam gloriam putant. Quare & ipſe olim ad Imperatorem Carolum pro religione pugnantem a Paulo III. Pont. max. in Germaniam miſſus ibi aetatem in armis egit, ſae piuſque pro ſedis huius dignitate, & gloria decertauit: & nunc pro eadem Alexander filius felicibus auguſtiſſimi regis auſpicijs cum gente ferociſſima bellum gerit: aſſiduisq. laboribus ac periculis caput obiectat: tantumque conſilio & manu pollet, vt ſimul & ſummi ducis, & fortiſſimi militis laudem cõſequatur: nec ſolũ in diſcrimine vitae prope quotidiano verſatur: ſed & opes domeſticas, quicquid a patre, quicquid à Farneſio patruo Cardinali ampliſſimo ſubminiſtrari poteſt, quicquid ſuppeditare mater potuit, optima & ſanctiſſima mulier, & omnibus ſeculis celebranda, quae nuper in

caelum vocata pietatis ſuae fruitur praemiis, id omne pro publica vtilitate profundit. His adiutus bellum grauiſſimum magna ex parte confecit: & prouinciam ab omnibus iam deploratam, continentem omnem Belgicae oram, in ſui regis poteſtatem, atq. ad Eccleſiae Romanae auctoritatem reduxit. Nunc vero Beatiſsime Pater Octauius Farneſius Parmae ac Placentiae Dux, vt quacumque re poſſet, ſuam tibi obſeruantiam declararet, hunc nepotem ſuum ad te miſit, iuuenem, vt breuiſſime dicam, patriae, auitaeque virtutis aemulum, ac pleno gradu ad maiorum gloriam properantem: multoq. ante miſiſſet, niſi per autumnum longo grauique morbo implicitus fuiſſet. Hunc in tuum conſpectum quamprimum venire, hunc ad ſanctiſsimos tuos pedes procumbere voluit: vt a primis annis tibi obſequi, te venerari, te colere, te admirari incipiat. Per hunc ſollemnem tibi de more obedientiam reuerenter atque humiliter praeſtat; teque ſuum, ſuarumq. rerum omnium patronum ac principem agnoſcit: tibique atq. huic ſanctae ſedi perpetuum ſtudium, obſequium, obedientiam ſpondet.

FINIS.

Habita Romae ad ſancti Petri, aſtante Ranutio Farneſio Alexandri F. Octauij N. & aui nomine obedientiam exhibente VIII. Idus Martias M. D. LXXXVI.

PETRI. MAGNI

ORATIO

IN. FVNERE. OCTAVII. FARNESII PARMAE. AC. PLACENTIAE DVCIS

AD. SODALES. SANCTISSIMI. CRVCIFIXI.

SI alibi, quam apud vos, verba facerem, Sodales: longe mihi alia, multoque difficilior ineunda dicendi ratio videretur: cũ Octauij Farneſij Principis optimi ac ſapientiſsimi funus debitis eſſet laudibus proſequendum. Primum enim apud extraneos, & eorum, quae dicerentur, inſcios auditores periculum eſſet, ne tanti viri virtutes, non ſua vi, ſed ex dicentis tenuitate aut copia penderentur. Deinde, ſiquid aſſequi nequeas, maleuolentia praetermiſſum exiſtimetur: ſiquid altius extuleris, non raro inuidia conſequatur. Pleriq. enim alienas laudes vſque eo laetis auribus excipiunt, dum eas conſequi ſe poſſe confidũt: vbi anteuenere, praeferri ſibi alios iniquo animo patiuntur. Nunc, quae res apud alios dicenti ſolicitudinem attuliſſent, ijs me aut omnino, aut magna ex parte video veſtra aequitate, & beneuolentia ſubleuari. Quis enim veſtrum ignorat, ſi non pro merito dixero, non voluntate me, ſed facultate deſtitui? Quis neſcit hoc mihi onus impoſitum, nõ qui optime omnium ſu-

ſtinerem

ſtinerem, ſed cui minime omnium recuſare fas eſſet? Cum enim veſtra cauſa debeo Sodales: tum Principis ipſius immortali beneficio deuinctus: qui me ex magna familiarium copia delegit, quem ſuis in hac vrbe negotijs praeficeret: ſuorumque conſiliorum & participem eſſe voluit, & miniſtrum. Vos autem quid libentius Farneſij Ducis laudibus auditis? veſtri ciuis, & collegae, & ſingulari in hanc ſodalitatem ſtudio ac beneficentia: quam ille ab ineunte aetate adamauit, maioribus in dies beneficijs auxit, exemplo ſuo tot nobiliſsimorum ciuium, praecipue vero liberum, ac gentilium ſuorum acceſsione honeſtauit: quem vos contra & viuentem coluiſtis, & vita functum exequijs ampliſsimis proſequimini, vt, quacumque re poteſtis, eius deſiderium leniatis. Itaque vt nihil difficilius, quam ſatis de Octauio Farneſio digne dicere: ita nihil apud vos facilius, quam de eodem quoquo modo dicere; quos & ad ignoſcendum paratos, & ad audiendum promptos eſſe, atq. alacres animaduerto. Ac primum ſi aliorum conſuetudinem imitari velimus, de familiae nobilitate nō pauca dicenda fuerint. propterea quod vt natura comparatum eſt vt ex ſimilibus ſimilia naſcantur, ſic ex fortibus fortes gigni plerumque perſpectum eſt. quibus tameo omniuo ſuperſedendum cenſeo, ne ineptiſsimus videar, qui media in vrbe Romanos Romanorum familias edocere aggrediar. Nam quis eſt adeo Romanarū rerum imperitus, quin ſciat, ex hac familia viros innumerabiles belli pacíſq. artibus floruiſſe? Atque vt omittam egregios belli Duces, quorum priſcis annalibus memoria celebratur: quique huic vrbi, atq. Italiae, vniuerſoque Romanae Eccleſiae imperio & in ſecundis rebus ornamento, & in dubiis praeſidio fuere: quis eſt aliquo ciuium numero, aut fuit his centum annis, qui non ab hac familia inſigni aliquo beneficio ſit affectus?

Vereor

Vereor de Paulo III. Pont. max. pauca dicere: in quo, ſi incipiam, neceſſe ſit hoc dicendi tempus abſumam. Vnum dico: nihil illo Pontifice humanius, nihil prudentius, nihil reip. amantius. Ante eius Pontificatum anno ferme decimo naſcitur Octauius. itaq. eius pueritiae tempus diſciplinis percipiendis idoneum in aui Pontificatum incidit. Cógitate, qui in hanc vrbem omnes vndique doctrinas, quarum ille incredibili ſtudio tenebatur, inuexerat, qua diligentia nepotes erudiendos curauerit: Ex his Octauius (nam de alijs alio loco dicetur) cum omnibus & corporis & animi bonis excelleret: cumque natura vnus ad omnia factus eſſet: inſtitutione illa puerili tantum profecit: vt aequales omnes, qui vna exercebantur, nobiles adoleſcentulos longo poſt ſe interuallo relinqueret. Itaq. breui non Graecis ſolum, Latiniſque litteris, ſed omni liberali ac Principe digna doctrina egregie inſtruitur. Nihil in grãmaticis, ac dialecticis tam minutum aut abditum, quod illius notitiam effugeret. nulla virtus oratoris, quam non dicendo effingeret, aut certe adumbraret. In mathematicis vſq; eo proceſsit, quoad ſibi ad res militares vſui fore intelligebat. Muſicen attigit, ne eius expers ſuauitatis eſſet. Philoſophiam mirifice adamauit: ſed eam partem praecipue amplexus eſt, quae ad mores informandos, atq. ad reip. adminiſtrationem pertinet. Ad eam percipiendam dicere ſolebat ſcripta ſancti Thomae magno ſibi adiumento fuiſſe. Studia omnia a Diuinis precibus inchoabat. mane Diuino ſacrificio quotidie intererat. reliquum tempus a ſtudijs litterarum & lucubrationibus vacuum aut laboribus militaribus impendebat, currendo, iaculando, equitando: aut alijs exercitationibus corporis tribuebat: aut amicorum ſalutationibus indulgebat. In tam ampla fortuna in tanta illi fortunae adulantium turba, in tot aetatis

illecebris, in tam diſſoluta ſaeculi licentia, nullum ſuperbi ingenii, aut arrogantis indicium, nullum non modo factum, ſed ne dictum quidem inſolens excidit. Nihil ex ſumma fortuna, praeterquam ſummam bene de hominibus merēdi facultatem vſurpabat. in id praecipue intentus, nullum diem ſine magno alicuius beneficio praeterire patiebatur. Ad haec decora facies, oris dignitas, manſuetudo, comitas, affabilitaſque ſermonis, qui incertum modeſtior eſſet, an grauior, incredibilem ei conciliabat gratiam ſimul & reuerentiam. Itaque erat in oculis omnium non modo in patria, ſed etiam Bononiae, quam ſibi velut alteram patriam ſtudiorum cauſa delegerat. hodieq. bona pars illius ciuitatis huius officiis & conſuetudine deuincta in clientela Farneſiae domus permanet. Prima ei militiae rudimenta ſub Carolo V. Imperatore in Germania fuere, cū praefectus eſſet exercitui, quem illi Paulus III. Pon. auxilio aduerſus haereticos miſit. Heic ſi praeclara eius facinora parem referre, tempus, quam res, maturius me deſeret. in ſumma magnū ſummi futuri Ducis ſpecimē dedit. His rebus non minus, quam fortunae amplitudine adductus Carolus Imperator, ei Margaritam filiam in matrimonium dedit, lectiſſimam feminam, & ad imperandum natam, tantoque patre, & omnium ſaeculorum memoria dignam. Haec vnico partu geminos edidit, Carolum qui paucis menſibus vixit, & Alexandrum, quo vel ſolo, vel maxime hodie Chriſtianae reip. ſalus nititur. Quid putatis tunc Octauium tanto Dei beneficio affectum feciſſe? Quid? Nihil aliud, niſi quod a vobis ipſis didici Sodales. Accurrit ad hanc ſanctiſſimam Crucifixi imaginem. heic diu procumbens de tāto munere Deo Opt. Max. gratias agit. Magnam in huius Sodalitatis vſus pecuniam erogat. poſtulat, vt ſe in Sodalium numerum recipiamns. O egregium adoleſcentem,

ſcentem, (erat enim etiam tum valde adoleſcens Octa-
uius,) num ſe ludis aut comeſſationibus dedit? num
laetitia diffluens, quod vulgus hominum facere conſue
uit, ſe in omnem laſciuiam & licentiam reſoluit? Huc,
huc continuo pedem tulit. auctorem beneficii Deum
agnoſcit. Quaſi praeſagiens, quantum Principem ge-
nuiſſet, quam firmum Chriſtianae religionis propu-
gnaculum, Chriſto ante omnia gratulatur. Eodem an-
no ſub finem maioris ieiunij, quo die Chriſti paſsionis
memoriam colimus, edixit velle ſe ſolemni illi pompae
cum ceteris ſodalibus intereſſe. itaq; eodem die veſperi
circumfuſus ingenti familiarium frequentia, cum &
ipſe & familiares eius Sodalitiis eſſent veſtibus induti,
euntes ad ſancti Petri, qui ſanctiſsimam hanc geſtabāt
imaginem, rurſuſq. redeuntes in hanc aedem perpetuo
comitatus eſt: totumq. illud iter pedibus fecit, cum eſ-
ſet pluuiis foedum, nec minus ſex horarum ſpatio illi
pompae interfuiſſet. ex quo tanta huic ſodalitati vene
ratio acceſſit: vt eius exemplo cuncta nobilitas noſtro-
rum Sodalium collegio adſcribi voluerit. Et miramur,
qui tanta in Deum pietate ferueat, eius imperium atq.
actiones diuinitus gubernari? quod perſpectū eſt exem
plis innumerabilibus: praecipue vero paucis poſt annis
Parmenſi bello: quod bellum ille a ſuis moenibus pro-
pulſauit pari virtute ac felicitate: cum duorum impe-
ratorum exercitus eo redegit, vt pacem, quib. ipſe con-
ditionibus voluit, facere cogerentur. Equidem, ſi Prin-
cipis huiuſce meritis vlla poſſet par oratio inueniri,
valde quererer Sodales, tam breue mihi ſpatium con-
cedi ad illius laudes explicādas. Sed quando nulla fingi
poteſt eloquentia tanta, quae aliqua ex parte aequare
illius meritorum magnitudinem poſsit: ſapienter hoc
inſtitutum video; vt & in illum gratus animus oſtenda-
tur: & breuitate temporis dicentis imbecillitas excuſe-

 tur.

tur. Etenim cum aliorum Principum res & facta conſidero: animaduerto alium alia virtute valuiſſe, perpaucos admodum fuiſſe, qui cunctis excellerent. Alius militiae partam gloriam, domi perdidit: alium florentem pacis artibus, arma dedecorant. Hic, quacumq. inſpicias, omnes virtutum numeros abſoluit: nullam vitae partem ſine ſumma laude tranſegit. Huic ſine ſupercilio grauitas, cum dignitate iucunditas, cum humanitate maieſtas; huic non ſeueritas amorem minuit, non ſeueritatem hilaritas, non facilitas auctoritatem. Prudentia tanta fuit, vt aetatis noſtrae Principum ſapientiſſimus merito haberetur. nemo minus cõſilio egebat, nemo libentius aliorum cõſilia exquirebat: cumq; cautus in primis eſſet, ac tectus, apertiſſimus videbatur. Nihil illum, quod a ſuis aut a finitimis fieret, latebat: nemo illum hoc agere animaduertebat. Nemo illo in amicitijs conſtantior, aut amicis indulgentior: nemo eodem in inimicos clementior. Beneficiorum numquam obliuiſci: iniurias non tam vlciſci, quam praecauere. Iuſtitiam, integritatem, abſtinentiam in tanto viro laudari ſine iniuria vix poſſe arbitror. Populares, prohibẽdo a delictis magis, quam vindicando, in officio continebat. Mira in pauperes beneficentia. Religionem, pietatem plurimum colere, & minimum oſtentare. Referre poſſem, niſi ab officio meo alienum ducerem, cum mihi aſſidua, ac prope quotidiana pietatis opera mandaret, nihil illum tantopere cauiſſe, quam ne quis intelligeret, a quo proficiſcerentur. Haec quamquã alios latebant: liberos tamen latere non poterant: quorum etiam diſciplinae intererat, ad pietatem exẽplo patrio informari. Igitur ex hac diſciplina inuictiſsimus Dux Alexander filius, incertum victoriis clarior, an in Deũ pietate inſignior: hinc nepotes Ranutius, & Duartes, patriae auitaeq; virtutis ac pietatis aemuli, eximiaeq;

ſpei Principes extiterũt. Nec profecto mirandum videtur, qui ad virtutis quaſi culmen euaſerint, eos tantum ceteris hominibus pietate praeſtare. Nam qui benefaciendo mortalibus aſſidue Deum imitatur, is neceſſe eſt magno Dei amore teneatur: quando ad eius imaginem ac ſimilitudinem conformare ſe ſtudet: Deum quippe nulla ex alia re magis, quam ex ipſius beneficiis, nouimus: nec quidquam eſt, quod ille a nobis magis exigat, quã vti homines hominibus benefaciamus. Pro tot, tantiſq. Diuinis beneficiis, quod ſumus, quod ſpiramus, quod ſapimus, quod Deum nouimus, quod caeleſtium regnum ſperamus, quod honorem caelitum meditamur, vt filij Dei ſimus, coheredes Chriſti, & (vt audacius loquar) vt Dii ſimus: beneficentiam in homines, & caritatem ſibi rependi Deus poſtulat. Qui vero in homines ex Dei praeſcripto ſe gerit, his quaſi gradibus ad pietatem peruenit. Eſt enim pietas & fundamentum, & quaſi fructus, & ſumma virtutum: quam virtutem priſci philoſophi ſi noſſent, eam demum heroicam nominaſſent. Ea namq. homines humana conditione maiores ac ſublimiores facit. Quid enim benefaciendo petimus, niſi Deum? O admirabilem in nos Dei beneuolentiam: qui noſtrae virtutis idem eſt auctor, & praemiũ. Haec mente agitans Octauius, haec dies nocteſq. cogitans, ad te Chriſte properabat: hanc tuam Sanctiſſimam in terris imaginem colebat: ad huius archetypon feſtinabat. Scilicet hanc intuens, vehementiſſime ſibi animum ad pietatem accendi ſentiebat: te ſuum, atq. humani generis conditorem, te redemptorem cogitabat: tuae interim paſſionis memoria fruebatur, his Diuinis dapibus mentem alebat. tum praeter alia ſibi cum ceteris hominibus communia beneficia, quaecumq. mortales adipiſci in terris queunt, ea ſibi cuncta tuo munere largiter conceſſa meminerat: amplas

opes,

opes, latum ac firmum imperium, popularium amorē maximorum orbis terrae Principum affinitates, ſobolem egregiam, filij ingentem gloriam. Deniq. anno ſuperiore cum ab eo digrederer, haec fuit eius mecum extrema oratio; ſe infirmitate valetudinis abs te ſuae mortalitatis admoneri, magnumq. ex ea re fructum capere, atq. attentius migrationem ex hac vita in iſtam perennem & ſempiternam meditari. Horum ac talium memor, cum Romae eſſet, huc ſaepiſſime ventitabat: hanc tuam ſodalitatem ſuis opibus ſubleuabat. Nos autem quid illi rependemus? quid aliud? niſi vt te, ſumme caelitum Rex, ſummis precibus obteſtemur, vt illum in beatorum numerū recipias: nobiſq. concedas, vt quem beneuolentem & beneficum experti ſumus in terris, eodem gratioſo apud te aduocato atq. interprete gaudeamus.

F I N I S.

Habita Romae ad ſancti Marcelli IIII. Kal, Nouembris M. D. LXXXVI.

IOSEPHI CASTALIONIS
AD PETRVM MAGNVM

AEmula Pindaricae prodit tua muſa Thaliæ
MAGNE nimis duro diſsimulata tibi.
Illam flos iuuenum patrio de limine raptam
AVLVS Aemiliam iuſsit adire viam.
Iamq. Placentinos Farneſia regna pererrat,
RANVTIQ. altam iam tenet illa domum.
Prolis ſorte tuae laeteris MAGNE licebit,
Principe quae tanto digna reperta viro eſt.

PETRI MAGNI
CARMINA

ODE I.

QVid vates tuus, o Romulidum decus,
Aſſert? quae tibi depromere munera,
Magni pignus amoris,
Geſtit? non ebur indicum,
Non e Carpathio purpureas mari
Gemmas, non hominum calcar inertium
Aurum, non pretioſa
Frondis vellera Sericae,
Non paſſum dociles artificis manus
Cratera, aut hilaris pocula Maſſici:
Sed te nectare dulci,
Muſarumque liquoribus
Dijs addam ſuperis. non tua poſteros
Virtus, non animi candor amabilis,
Non obſcura latebit
Cunctis grata benignitas.

Viuent & pudor, & ſplendor, & omnium
Paſſim concilians pectora comitas,
Noſtro carmine: viuent:
Nec te obliuio, candide
Ranuti, volucris filia temporis,
Delebit. Patris hic iactet imagines,
Ille exciſſa duello
Gentis millia barbarae.
Cui virtus peperit bellica gloriam:
Me vero nemorum mobilis vmbra, me
Leni murmure riui,
Me Cephiſia quae colunt
Diuae flumina, me Pierides iubent
Laetas carminibus quaerere laureas,
Non quae funere crebro
Triſtes inficiunt domos.

ODE II.

Teſtudo, Iouis, aurea,
Et longae ſuperum laetitiae parens,
Cuius ſuauiſonum ad melos
Ducunt auricomae Pierides chorum,
Dum conuiuia caelitum
Arguto exhilaras pectine garriens,
Sedas & trucis horrida
Ponti murmura. tum non rapidi fremunt

Venti,

Venti, non animantium
Iracunda gregem ſulmina territant.
At princeps volucrum, graui
Perfuſus nebula, carpit amabiles
Somnos, & Iouis aureo
In ſceptro recumbans, hinc celeres, & hinc
Alis deijcit, & leuem
Attollens humerum, rodere ſomnians,
Incuruo capite obſtrepit.
Quin & ſepoſito Mars ferus aſpero
Armorum ſonitu, hiſpida
Demulcet numeris pectora mollibus.
Quem non afficiunt Deum,
Qui vel perpetua luce micantia
Caeli templa, vel humidi
Muſcoſas habitant Oceani domos,
Vatum carmina? quae niſi
Cantantem cito me Cynthie deſeris
Non inculta ſilentio
Heroum patiar nomina fortium:
At florebit in omnia
Caualcantis honos ſaecula, dum pudor,
Aeternumque viris decus
Virtutes parient, dumque tyrannidem
Deteſtabitur inſolens,
Et ſeruire alijs neſcia ciuitas.
Contra perpetua impium
Nox vrget Phalarin, ſeu quis iniquior

Ceruici immeritae iugum
Iniecit patriae, hunc non citharae canunt,
Non feſtae excipiunt dapes,
Caſtarumue cohors ſedula virginum
Nocturnae inuigilans colo:
Sed foeda implicitum membra adamantinis
Clauis, Eumenidum faces
Torquent, ignitiomis pectora viperis
Vltrices furiae exedunt.
Mortales neque enim negligit immemor,
Aequus caelicolum parens:
Qui iuſto arbitrio ſingula diuidens,
Illos muneribus beat,
Hos rurſum grauibus ſupplicijs premit.
Te vero, decus omnium
Dilectae procerum, & lumen Etruriae,
Si deſiderio anxerit
Extorrem patrij dulcis amor ſoli,
Sinceris animum erige
Prudentum monitis: prorſus enim bonum
Nil mortalibus accolae
Donauere poli, gaudia triſtibus
Miſcentes: fatui quibus
Succumbunt facile: at proſpera praeferunt
Fortes, diſſimulant mala.
Quod ſi quiſquam alius iure vocabitur
Felix, haud dubie pium,
Iuſtumque, & ſuperis conſilio parem,

Expe-

Expertemque doli virum,
Felicem rutilo ſolis ab aethere
Iucundum iubar aſpicit:
His ſe mens recreet conſcia propriae
Virtutis: pede quam vago
Diſcurrens, varijs garrula gentibus
Dicet fama, neque irritam
Diſpergent boreae flamina, at impiger
Vocali recinam lyra:
Ni verſus, vitreum Caſtaliae colens
Fontem, Calliope negat.
E Diuis etenim ſingula profluunt;
Hinc & conſilio boni,
Hinc & Martigenum robora militum, hinc
Quiſquis dicere promptior
Elatis populorum imperat auribus.

ODE III.

Qui delicata torpet inertia,
Et ſegnis annos irreparabilis
Traducit aeui, nec morantem
Sedulus aſsiduo camoenam
Cantu laceſsit, hic neque Delphicis
Indigna cinget tempora frondibus,
Nec viuet aeternum, nec imam
Linquet humum fugiente penna.

Doctum iuuentus verſet Horatium.
Priſcae iuuentus aemula gloriae,
Seu gaudet hic dulcis amores
Exiguo reſonare plectro,
Sublimis aura ſeu vehitur leui,
Oloris inſtar, vel Iouis alitem
Fuluum aemulatur, cum volucri
Aera remigio pererrans,
Infra volantum deſpicit agmina
Fruſtra laborantum. Huic ego te parem.
Videbo Ranuti, ſuperbis
Verticibus feriens olympum:
Latona Phoebum per iuga Delia
Ceu ſpectat, alto percita gaudio,
Ductare muſarum choreas,
Et fidibus tumidam canoris
Mulcere Tethyn: quo ſonitu leues
Geſtire cernas Nereidum choros,
Turbamque Diuorum procacem
Caeruleo volitare campo.

ODE IIII.

Dent alij grauidam gemmis, auroque rigentem.
Culmen opum, tibi rore lyaei
Ridentem pateram, quibus auri pondera magnos
Dant animos. ego dulcis Horati

Arida

Arida Pierio tua ingens ora liquore.
Dicam hominumque quietis, & vrbium
Altricem Eunomien. terris quam prodidit olim,
Felici Themis aurea partu,
Supremi Iouis ambroſio dignata cubili,
Dignum germen vtroque parente.
Te Dea te metuunt manes, te numina ponti,
Te ſuperi venerantur, & ipſe
Caelicolum rector: caſtam cui proxima ſedem
Diua tenens, mortalibus aequa
Fas & iura manu tribuis. tu Diuas biformes
Nubigenas, Phlegraeaque monſtra
Impia terrigenum domuiſti ſaecla gigantum.
Cum vaſtum Saturnius agmen,
Impoſitaſque videns ſublimes arcibus arces,
Concutiens caput, Audeat armis
Inde alius, Diuum belloque laceſſere regem,
Ni vanam ſine viribus iram
Arguam, & haec dociles maneant exempla minores.
Dixit, & horriſonum aethere fulmen
Contorquens, Erebi Briareum detruſit ad vmbras
Pallentes: huic Porphyriona,
Enceladum, Tityonq. addit ſaeuumque Tiphoea,
Atq. alios, quos alma ſeueris
Iudicijs tetro Eunomiae damnauerat orco.
Sic pereant, qui legibus aequis
Viuere deſpiciunt; hominumque ſortemque peroſi,
Mortali immortalia mente.

Affe-

Affectant, inhiantque, auras & inania captant.
Me, quae veridico iubet ore
Virgo Themi prognata, iuuent: quae ſemper amaſti
Romuli dum vulgare per vrbem,
Gualteruti interpres Diuae, Diuumque ſacerdos?
Te duce, cum matura ſenectus
Vitai ſpatium confecerit, ire iuuabit
Diues vbi Saturnia Tyrſis
Fortunatorum nemori coniuncta beato eſt:
Quam circum Oceanitides aurae
Auricomas blando percurrunt murmure ſiluas.
Interea, florentibus annis,
Quaeq. adſunt, hilares, & ſpe meliore fruamur
Vnanimes, nullius egentes.

ODE V.

Caeruleo terram quatiens Neptune tridenti,
Quo ſortiente nobilis
Adria Romanas Latio non inuidet arces:
Quae turis, aut quae victimae
Pro Caſa incolumi perſoluam munera? quem tu
Salubriores ceteris
Aſpirans, medijſque leues in fluctibus auras,
Non artuum doloribus
Non podagra immiti, ſubigis cithara ve carentem
Dulcine muſarum otio

Degere

Degere. Sed cano miratae e gurgite vocum,
Fidiumque leſbium melos,
Dignantur vitreae pondus Nereides vltro
Subire Cariatidum,
Tuque, aiunt, cede Aſterie Latonia, cedant
Pindique Theſſali iuga, &
Quidquid Apollineo gaudet modulamine. tuque
Sinus o Adriatici
Vrbs Venetum decus, aeternum pro munere tali
Regina viuas aequoris:
Nec tua ſit moles vlli ſubiecta ruinae,
Dum Phoebus imo gurgite
Tinxerit arentem currum, caelique ſonantem
Verſarit Atlas cardinem.

ODE VI.

Ad Laurentium Frizolium.

Qualis anhelanti, rabidi ſub ſideris aeſtu,
Salientis vndae riuulus,
Qui ſuper arentes argenteus irrigat agros,
Leni ſuſurrans murmure,
Proluit & gelida ſitientum pectora limpha,
Iucunda praebens pocula:
Tale tuum nobis carmen, dulciſſime Laurens,
O laurea dignum caput.
Nec vero tellus exuſta ſuauius imbres,
Dulcemque foetum nubium

Excipit, aut ventis implentur vela ſecundis;
Quam cuique noſtrum credulae
Melli fluis abs te mulcentur laudibus aures,
Laus, praemium factis probe, &
Immeritos iuuat, & ſtimulo ſegnes premit acri.
Quin noſtra, cui fauces, ratis,
Iuppiter, vt gracilis vaſti pauet aequora ponti,
Vt erubeſcit laudibus.
Tu, ſi quando animo languorem, aut corpore longis
E Lucubrationibus
Contrahis, Aonidum choreis, cantuque ſororum
Amoeniore recreas,
Non ſecus ac, tetrum cui ſcorpius intulit ictum,
Idem medetur ſcorpius:
Aut, quibus aerato ſudauit in agmine miles,
Iiſdem per otium enſibus
Ludit, & ingenuo meditatur ſeria ludo.
Sic fertur olim Cynthius
Depoſitis citharam iaculis tenuiſſe canoram,
Queis iam gigantum, immania
Terrigenum patrijs extrudens agmina campis,
Gentem ſuperbam ſtrauerat.

ODE VII.

Audite magnis orta parentibus
Proles, Etruſci Tibridis accolae,
Quem Phoebus, ignotum profanis,
Veridico dedit ore cantum.

Hoc

Hoc omne, quod vos cernitis, aurea
Quaecumque mundi moenia continent,
Terraeque, terreſtreſque turmae,
Omnia perpetuum parentis
Nutum ſequuntur, quem tenet ignei
Conuexa caeli regia, qui genus
Hinc ſpectat humanum, piaſque
Aure preces patienter haurit.
Hic mugientum ſaecla animantium,
Mutoſque piſces, & genus alitum,
Mariſque, telluriſque fetus
Arbitrijs hominum ſubegit.
His tecta, & vrbes condere, & vrbibus
Praeeſſe, & altam quaerere gloriam
Conceſſit, & virtute functos
Aeuum hilares agitare Diuum.
Quae tanta, rector maxime caelitum,
Humanitas? qui tantus in hos amor?
Tantum ne mortales mereri
Fata ſinunt, & emenda multo
Sudore virtus? & tamen impijs
Onuſta tellus, o ſcelus, o tuis
Indigna fortunis, probroſa
Gens hominum. generata caelo
Caliginoſum viſere tartarum
Geſtis? neq; vllo mens fera praemio
Mouetur, aeternum fugaci
Vt ſpatio ſibi mutet aeuum?

Priora regum praemia. proximis
Dignatur aequi cultor amabilis,
Legumque, ſanctorumque morum, &
Iuſtitiae popularis auctor.
Regem peractis laeta laboribus
Florente Tyrſis excipiet ſinu:
Vitaeque defunctum volantis
Curriculo, lacrymis carente.
Vita beabit, ſi neque noxios
Infecit enſes ſanguine ciuium
Inſonte, nec pingues iniquo
Marte ferox populauit agros:
Sed blandienti fraena libidini
Iniecit, omnis criminis abſtinens,
Luxuſque, & elato nocentum
Dona ſupercilio repellens.
Si fluctuantes ſeditionibus
Sedauit, vrbi: non ſibi, conſulens:
Non arma, non aurum, fidemue
Ciuibus vnanimis ademit:
Non barbarorum turba ſatellitum,
Sed ciuitatis ſaepſit amor latus.
Hunc fraudis, expertemque culpae
Sedibuss accipiet quietis
Iucunda Tyrſis: ver vbi gemmeum
Spargens nitorem floribus aureis
Diſtinguit agros, & virentes
Fundit humus capiti corollas.

Heic turba dicto regibus audiens
Aequis, & altum qui ſapientiae
Sunt limen ingreſſi, Deorum
Colloquijs hilares fruuntur.
Haec nuper ipſum dicere Cynthium
Nobis ſororum haud vltima rettulit:
Et plura: ſed quae bellicoſo
Scire nefas populo Quirinis
Dum te furenti Gambara ſirio
Farneſiorum vallibus eripis,
Et te Faliſcorum receſſus
Frigoribus recreant opacis.

ODE VIII.

O grata feſſis mentibus, vrbium
Nutrix, & almae iuſtitiae quies
Alumna, quae Iani coerces
Limina, mortiferumque bellum.
Tu veritati praemia, ſedulos
Prudente patres conſilio beas:
Turbamq. & inſanos tumultus
Sancto abigis taciturna templo.
Tu concitatis blanda furoribus,
Molliſque, leni cum medicamine
Occurris: hinc miteſcit ira
Praecipitis maleſuada vulgi:

Te cul-

Te culta tellus, te mare naufragum,
Te quos per altum ſpes agitat lucri
Incerta, te ruris coloni,
Te pauidi cupiunt tyranni
Fruſtra: cruentum nam refugis larem
Suſpitionum fluctibus obrutum:
Quas inter vltrices cubile
Funereum poſuere curae.
Ah quantus illos ſollicitudinum
Inuoluit aeſtus: quantus agit furor:
Ah caeca, Dijs inuiſa, quantis
Mens ſtimulis agitatur amens.
Quae tam ſeuerae ſupplicij vices?
Quo poena vexat mutua vindice
Hanc gentis humanae exſecrandam
Perniciem, illuuiemque diram?
Stellantis aiunt verticis arbitrum,
Siue optimatum, ſeu popularium
Longis fatigatum querelis
Haec tacitus memoraſſe Diuis.
Proles gigantum perfida, non ſatis
Olim coruſca grandine fulminum
Edocta fortunas parentum,
In varias furibunda paſſim
Graſſatur vrbes. hanc quibus inſequar,
Audite. collo qui iuga libero
Iniecit, hunc mens aeſtuanti
Conſcia ſubiciat procellae.

Seruire cogens, ſeruiat: omnium
Terroris auctor, palleat; horreat
Libata praeſenti miniſtro
Pocula, regificamque menſam,
Lucem, tenebras, auia, peruia:
Hunc ſolitudo terreat, hunc frequens
Conuentus: huic ſuſpecta coniux,
Huic ſolij generatus heres.
Non decolorem tela ſatellitum
Vultum ſerenent. ipſa ſatellitum
Arma expaueſcat. non propinqui,
Non aliena manus, timorem
Sedato. cuncti funditus oderint,
Cuncti execrentur. nulla, tyrannidem
Preſſoſque cines inter, vllo
Gratia concilietur aeuo.
Sic fatus, atrae per ſtygis annuit
Sacram paludem: hinc pontus, & infima
Concuſſa tellus: hinc olympus
Aſtriferos tremefecit orbes.
Hic tetra vindex monſtra coerceat,
O alma, docto conſcia Gambarae
Florentis oti, quem ſororum
In ſtudio retines amoeno:
Tu mitis adſis Diua Quiritibus:
Tu conuocatis patribus, & Pio:
Tu lenis inuiſas niualis
Nobile concilium Tridenti.

ODE IX.

O, Pio rerum potiente, multis
Culte Galleſi: quibus ipſe luctum
Subleuem cari capitis? quibus te
Laudibus ornem?
Quid tuis reddam meritis? amicum
Heu Deos raptum repetis, tibi vni
Flebilem, ſed nec lacrymis mouentur,
Nec prece manes.
Nemo te vento melius ſecundo
Vſus: aduerſum ſapienter idem
Perfer, o in deterius ruentis
Gloria ſaecli:
Occidit fato Pius: at tuorum
Fama geſtorum manet, & benignam
Comitas mentem decorans, ſuique
Conſcia virtus.
Hanc nec obliquis oculis venenum
Liuor effundens abolebit, atrum
Macerans pectus, neque cana ſeris
Saecula luſtris:
Quid pijs exples lacrymis dolorem
Irritum? molli potius lyaeo
Falle ſingultus: hilari calentem
Sparge fauillam
Rore: te Laurens rogat hoc diſertus
Te meus Laurens rogat, ille noſtrae

Particeps curae, gemituſque conſors,
Laetitiaeque.
Nunc rudi voces imitetur ore
Maurus Etruſcas puer, abſonumque
Excitet riſus vlulans nigranti ad
Pocula rictu.
Nunc & intactum boreae receſſum,
Aureo ſolis radio tepentem
Viſe, nec laurum, neque Vaticanam
Neglige mirtum.

AD. LVCRETIAM. PETRATTAM

Purpurei flores, iucundi munera veris,
Atq. ijdem dominae pignora cara meae,
Illa ne vos tenui deuinxit ſedula filo?
Illius argutae vos tetigere manus?
Illa ne compoſuit digitis, queis findere pectus,
Queis potis e medio vellere corde animam?
Forſitan & teneras iuuit ſparſiſſe papillas:
Forſan odoratam nectere flore comam.
Quam circum aſſidue croceo velatus amictu
Huc illuc volitans ludit inermis amor.
Quae, ſimul ac flauo deiecit vertice velum,
Ambroſio celebres implet odore vias.
Talis perpetua redimitus tempora lauro
Cynthius, auratam percutiens citharam,
Horrida rauciſoni componere murmura ponti
Fertur, & Aſteriae ſaxa ciere iugis.

M Iracun-

Iracunda premunt rapidi tunc flamina venti,
Et cohibent curſus ſidera prona ſuos.
Tunc videas imo prodire e gurgite nymphas,
Ludereq. in vitreo monſtra marina ſalo.
Felices agri exuuiae, viuetis in aeuum,
Quas domina aeterno conſecrat eloquio.
Cuius inaudita captus dulcedine linguae
Aurifer immota conſtitit amnis aqua:
In qua Romanum ingenium, nomenque refulget,
Aequat & inſignem forma pudicitiam:
Ceu Parium flauo lapidem ſi cinxeris auro,
Creſcit honos auri, creſcit honos lapidis.
Sed quaenam, mea lux, faciles tibi verberat aures,
Mendaciq. onerat ſubdola lingua ſono?
Illa poteſt geminos agere in certamina fratres,
Saeuaque cognatas cogere ad arma manus:
Illa poteſt brutas animantum inducere formas,
Et dare Circeis dira venena modis:
Illa etiam blando captorum corpora cantu
Obijcere aequoreis dilanianda feris:
Illa vel Elyſijs in tartara trudere manes,
Et potis e fixo cuncta mouere loco.
Me ne vllam dicto fas eſt violare puellam?
Impiaq. in dominam dicere verba meam?
Tunc, precor, Herculeo religatum brachia nodo
Arceat Aonio me Cytherea choro,
Cogat & ignauo miſerum torpere veterno,
Triſtiq. exangues imbre rigare genas:

Nec

Nec torrere meas vnquam ſatiata medullas,
Vrat inextincta tabida membra face.
Nec gelidi fontes tam ſaeua incendia ſiſtant,
Nec quae Parnaſsi deſilit vnda iugo.
Sin merita caſtas ornaui laude puellas,
Et colui ſanctae foedera amicitiae,
Tunc mihi te mitem ſuperi regnator olympi
Praebeat, & noſtras hauriat aure preces:
Prae qua nec Venerem noſtro dignarer amore.
Es mihi pro cunctis, lux mea, caelitibus.

AD. PHYLLIN

Phylli, meae, melior dum me fortuna fouebat,
Deliciae, atq. oris ſuauia languiduli,
Nunc deſiderium. quaenam fera numina te mi
Eripiunt? quae mi ſurripiunt animam?
Illam animam, quae longe anima mihi carior haec eſt:
Qua ſine vitalem taedet habere animam.
Nam ſimul ac lenes radios iaculantur ocelli,
Abſtergunt omnes triſtitias animo:
Ceu nebulas fuſco pellucidus aere Titan
Diſsipat, hinc puro lumine cuncta nitent.
Sit mihi mellitis tua verba fluentia labris
Audire, atque Arabum deſpiciantur opes.
Nunc ſine te mutae charites, muſae, omnia muta,
Et ſordent oculis omnia viſa meis.
At ſi caelicolae immenſum miſerantur amorem

Tum mi ſuffurari animam vis vlla nequibit:
Menſa, focus, rheda, & lectulus vnus erit:
Vna quies ambobus erit, vita vna duobus:
Semper, vbique adero, per loca cuncta ſequar:
Otia non mihi te, non vlla negotia tollent:
Nulla dies mihi te, nox mihi nulla adimet:
Te vigilans collo implicitus, ſtertenſque tenebo:
Quique tuo efflabit ſpiritus ore, bibam:
Brachia non ederis cedent, non oſcula conchis.
En aliquando erit, vt gaudia tanta feram?

BALNEARIA

Tibur, & Albuneae nemus, & vernantia riuis
Compita, & effoſſo quae fluis vnda iugo,
Regis opus, regumq. animos aequantis & auſa
Hippolyti: veterum deliciaeque ducum.
Et Cimini de monte nitens, quae limine laeto
E toto claros allicis orbe viros,
Jarneſi domus: & vario pomaria cultu,
Quale aliud nuſquam cernitur artis opus.
Siluaque perpetuo late circumdata muro,
Fonteſq. & liquidi vitrea lympha lacus.
Ceruorumque greges, timidique fugacia damae
Agmina, glandiferum quae nemus intus alit.
Non humilis vobis Balnearia laudibus vllis
Certat: non veſtras aemula iactat opes.
At ſimilem vobis dominum ſi nacta fuiſſet,
Eſſet & ipſa aliquo forſan habenda loco.

Nec

Nec placuiſſe tibi laus vltima, magne Riari,
A quo primus honos, nobilitaſque loci.
Quodſi longa tuae neuiſſet ſtamina vitae
Inuida parca, nihil quod quereremur erat.
Saltem magnanimi virtus praeclara Rodulſi
Serius adſuperos hinc abijſſet heros.
Nunc, o Diue loci praeſes, tibi Gambara poſt hos
Contigit, haud opibus, ſed pietate pari.

FINIS.

IOSEPHVS CASTALIO LECTORI S.

CVM illuſtriſſ. adoleſcens Thomas Aualus, cuius ego ſtudiorū cauſſa à latere numquam diſcedo, mihi mandaſſet, vt haec Petri Magni ſcripta imprimenda curarē, atque operas in officio continerem : loca aliquot in carminibus curſim adnotaui, quae mihi conuerſa è Pindaro videntur incredibili felicitate. Ea communicare tecum volui, vt intelligas, non eſſe omnino τῶν ἀδυνάτων, Pindarum aemulari, quem ad modum Horatius cēſuit. quodq. admirationem auget, haec ille omnia iuuenis ad modum luſit, ante viceſimū quintum aut ad ſummum triceſimum aetatis annum, vt ex ipſis carminum argumentis liquet. Erant & alia notatu digna, niſi breuitate temporis impedirer.

Vale, quodque raptim praeſtare potuimus, boni conſule.

IN ODEN. I

PRima ode ad quem ſcripta ſit, mihi non ſatis liquet: neque ab auctore ſciſcitari auſus, alijs indagandum relinquo.

Hominum calcar inertium.) aurum inertium hominum calcar vocat, propterea quod homines alioqui inertes εἰς ἄφενον ἀποδίδοντες, lucri ſtudio, quibuſdam quaſi ſtimulis incitantur.

Sed te nectare dulci.) Reſpexit opinor ad illud Pindari Olympiorum ode vij.

καὶ ἐγὼ νέκταρ χυτὸν,
μοισᾶν δόσιν, ἀθλοφόροις
ἀνδράσιν πέμπων.

Nec te obliuio.) obliuionem temporis filiam vocat, propterea quod vt alia, ſic & rerum memoria tempore obliteratur atque obliuio gignitur.

Cephiſia quae colüt diuae flumina.) Pindarus Olympiorum XIV.

καφισίων ὑδάτων λαχοῖσαι.

Laetas carminibus quaerere laureas.) Lætas laureas vocat quæ carminibus, non quæ funeſto bello comparantur.

IN ODEN. II

Hanc Bartholomæo Caualcanti ſcriptam eſſe ſatis conſtat, quem auctor adoleſcens ſenem coluit, cuius arta conſuetudine intimaque familiaritate vſus, creditur in peripatetica diſciplina, in vſu rerum agen-

Teſtudo Iouis aurea.) Ordo eſt; Teſtudo aurea, longae Iouis & ſuperum laetitiae parens. Hac ode mirifice Pindarum, ac mea quidem ſententia valde feliciter aemulatur. Ille Pythia his verbis orditur.

χρυσέα φόρμιγξ ἀπόλλωνος καὶ ἰοπλοκάμων
σύνδικον μοισᾶν κτέανον.

Laetitiae parens.) his verbis exprimi videtur ἀγλαΐας ἀρχά.

Non animantiũ Iracunda gregẽ fulmina territant.) Pindarus καὶ τὸν αἰχμα-
τὰν κεραυνὸν σβεννύεις

At princeps volucrum graui perfuſus nebula.) heic non ſolum ſentẽtia, ſed ipſa Pindari verba redduntur. ἀρχὸς οἰωνῶν, princeps volucrum. ἀγκύλῳ κρατὶ, incuruo capite. κελαινῶπιν δ' ἐπὶ οἱ νεφέλαν κατέχευας. graui perfuſus nebula.

ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ. *Leuem attollens humerum.*

Quin & ſepoſito mars ferus aſpero
Armorum ſonitu, hiſpida
Demulcet numeris pectore moribus.) Pindarus καὶ γὰρ βια-
τὰς ἄρης, τραχεῖαν ἄνευθε λιπὼν
ἐγχέων ἀκμὰν, ἰαίνει καρδίαν
κώματι.

Quem non afficiunt.) Pindarus κῆλα δὲ, καὶ
δαιμόνων θέλγει φρένας.

Contra perpetua impium Nox vrget Phal. &c. Totum hunc locum e Pindaro tranſtulit.

τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυ- τῆρα νηλέα νόον
ἐχθρὰ φάλαριν κατέχει παντᾶ φάτις.

ῥίψαι κοινωνίαν
μαλθακὸν παίδων ὀαρόισι δέχονται·
οὐδέ μιν φόρμιγγες ὕπω·

Prorſus enim bonum
Nil mortalibus accolae
Donauere poli, gaudia triſtibus
Miſcentes: fatui quibus
Succumbunt facile: at proſpera praeferunt
Fortes, diſsimulant mala. Pindarus Pythiorum iij.

ἓν παρ' ἐσλὸν, πήματα σὺν
δύο δαίονται βροτοῖς
ἀθάνατοι. τὰ μὲν ὦν
οὐ δύνανται νήπιοι κόσμῳ φέρειν,
ἀλλ' ἀγαθοί, τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω.

E Diuis etenim ſingula profluunt.
Hinc & conſilio boni,
Hinc & Martigenum robora militum, hinc
Quiſquis dicere promptior. &c.
Pindarus Pythiorum ode j

ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶ-
σαι βροτέαις ἀρεταῖς.
καὶ σοφοὶ, καὶ χερσὶ βια-
ταὶ, περίγλωσσοί τ' ἔφυν.

In oden iij

Latona, Phoebum.) Virgilij imitatio, Qualis in Eurotae ripis.

In oden iiij.

Dent alij grauidam gemmis.) Pindarus Olymp. xij

Mortali immortalia mente Affectant, inhiantq.) Pindarus Pyth. iij.

ἔστι δὲ φῦλον ἐν ἀν-
θρώποισι ματαιότατον,
ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώ-
ρια, παπταίνει τὰ πόρσω
μεταμώνια, θη-
ρεύων ἀκράντοις ἐλπίσιν.

Diues vbi Saturnia Tyrſis
Fortunatorum nemori, coniuncta beato eſt:

Quam circum Oceanitides aurae.) Pindarus Olympiorum. ij.

- παρὰ κρόνου τύρ-
σιν ἔνθα μακάρων
νᾶσον ὠκεανίδες
αὖραι περιπνέουσιν.

In oden vj.

Nec vero tellus exuſta ſuauius imbres

Dulcemque fetum nubium.) Sic Pindarus Olympiorum xiiij. dixit.

- οὐρανίων ὑδάτων
ὀμβρίων, παίδων νεφέλας.

In oden vij.

Regem peractis laeta laboribus

Florente Tyrſis excipiet ſinu.) Pindarus loco ſuperius citato Olymp. ij.

Lacrymis carente vita &c.

- οἵτινες ἔχαι-
ρον εὐορκίαις,
ἄδακρυν νέμονται
αἰῶνα.

Ver vbi gemmeum

Spargens nitorem, floribus aureis
Diſtinguit agros, & virentes
Fundit humus capiti corollas. Pindarus ibidem ἄν-

θέμα δὲ χρυσοῦ φλέγει,
τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ᾽ ἀ-
γλαῶν δενδρέων,
ὕδωρ δ᾽ ἄλλα φέρβει.
ὅρμοισι τῶν χέρας ἀνα-
πλέκοντι καὶ στεφάνοις,

In oden viij

O grata feſſis mentibus, vrbium
Nutrix, & almae iuſtitiae quies
Alumna.) Pindarus viij. Pythiorum

Φιλόφρον ἡσυχία, δίκας
ὦ μεγιστόπολι
θύγατερ, βουλᾶν τε καὶ πολέμων
ἔχοισα κλαῖδας
ὑπερτάτας

Tu concitatis blanda furoribus,
Mitiſque, leni cum medicamine
Occurris.) Pindarus ibidem

τὺ δ᾽ ὁπόταν τις ἀμείλιχον
καρδίᾳ κότον ἐ-
νελάσῃ, τραχεῖα δυσμενέων
ὑπαντιάξαισα,
κράτει τιθεῖς ὕβριν ἐν ἄντλῳ.

Eleg. j

Purpurei flores.) Haec elegia ſcripta eſt Ferrariae ad Lucretiam Petrattam nobilem feminam, quae illi epiſtolam Latinam cum florum faſciculo miſerat, iocans cupere ſe cum eo redire in gratiam, quando illum accepiſſet parum beneuolo eſſe in